

EMBLEMATA  
PHYSICO-

ETHICA,

hoc est,

NATVRÆ MORVM

moderatricis picta

præcepta,

à NICOLAO TAURELLO

Montbelgardeni, Phystices & Medic.

in Altdorfen, Noric. Academia Pro-

fessore observata, & ario con-


scripta carmine.

Editio secunda.

NORIBERGA

Typis Christophori Lochneri.

M. DCII.



GENEROSE, ET  
NOBILISSIMIS IVVENI-  
BUS PROCOPIO, ET PETRO  
PIENASCIIS DE KRUSSLOVA, FI-  
lliis honestæ memoriae generosi, & magni-  
fici D. JOHANNIS PIENIAZECK sub-  
dapiferi terræ Præmisliensis; Domi-  
nis meis amicè, & reverenter  
observandis.



ÆPE mihi de generosi,  
& magnifici parentis  
vestri pietate insigni,  
& singular erga Lite-  
ratos amore jucundissima fuit com-  
memoratio. Sape etiam quo mecum  
vixistis tempore (nobilissimi juve-  
nes) vestra ex cōversatione magna  
cepi voluptatem. Adeò vestra mihi

modestia, & suavis placuit morum honestas. Atq[ue] ita multū vestri parentis amorem auxiſtis: quem magnarum ejus virtutum admiratio, meum in animū induxerat. Et vos etiam vestrum ob patrem vobis meritocharissimum: eō mihi fuisti acceptiores. Ut ergo meum erga vos amorem multis testatum facherem: patri vestro mea hac emblemata dedicare constitueram. Sed ut fors fert humana: dum paulò diutius nostra differtur editio: casu mihi & gravi, & noxiō: vobis verò tristi & luctuoso: ex hac ipse vita deceſſit. Quicmodo id ſape fit, irritum: in quo multū ſpei ponimus. Verū ut à meo proposito: quād ejus fieri posset, minimū

nimū recederem: vobis id deberi judicans: quod vestro patri destinatum fuerat: hoc qualemque ſi munſculum nobilissimo vestro nomini dicare & offerre volui: certa ſpēfretus, vos hoc animo non minus alaci, & benevolo recepturos eſſe: quam vestro fuifet à patre receptū. Quod certè ut ſperarem: vester etiā fecit inspector D. Hieremias Debrouſius, juvenis honestissimus & doctissimus: qui mihi vestrum erga me amorem, quantus ſit, non obſcurè significavit. Hac cum ita ſint: merito vos hoc ipſo tēpore apud me eſſe gaudeo: quomea hac emblemata denuo in lucem prodeunt. Deus Opt: Max: diurnam vobis, pro-  
a 3 ſperamq[ue]

EPIST: DEDICAT.

per amq; valetudinem, & fælicem  
rerum successum, benignè largia-  
tur. Altior si 15. Martii Anno  
M. DCII.

Vistro nobiliss: nomini  
addictissimus

Nicolaus Taurellus  
Medic. Professor.

AD

AD LECTOREM  
PRÆFATIO.

**C**c e tibi Lector benigne novi  
quid apportem.. Naturam hic  
habes viventem, & prudentem:  
optimam vivendi ducem, mo-  
rumq; moderatricem. Quæ nec viya ta-  
men est, nec intelligens: nec anima, nec  
mente prædicta.. Versus hic etiam habes  
emblematicos. Quo quidem scribendi ge-  
nere miraberis fortè non injuriâ, me Ari-  
stotelica Philosophiæ, & Medicinæ Gale-  
nicæ Professorem, ætate jam ad senectam  
vergente potuisse delectari. Quod certe  
studium pueris potius, vel adolescentibus  
poëseos studiosis convenire videtur.. Et  
hujuscæ quidē generis multa sunt ab aliis  
in lucem edita: quæ studiosæ juventuti sa-  
tis accepta, gratique sunt. Atque hæc de  
emblematibus, Quæ verò iis adjecimus:  
omnino à proposito videntur esse aliena.  
Nempe quod unicuique studioso suum  
emblema seorsum dicaverimus: & appo-

## AD L E C T O R E M

sitis etiam insignibus: quæ ferè plus interdum occupant spaciī, quām ipsorummet emblematum picturæ. Cum itaque non dubitarem quin hæc aliquos offenderent: meritò huic incommodo fuit occurrentum: quod aliter fieri melius non potuit: quām si ratione in instituti mei paucis rediderem, & exponerem.

Non equidem inficior, quin me studiis gravioribus addictum esse oportuerit: quæ meam decerent, & exornarent professionem. At neque hoc à me neglectum est. Nam in id quo potui studio incubui: ut non meis modò satisfacerem auditoribus: sed & aliis etiam compluribus physices, & medicinæ studiosis, editis in lucem meis lucubrationibus, gratificarer, & prodessem. Sed ut sunt tempora, typographicæ merces spretæ jacent: nescio quo vel literarum contemptu, vel injuriâ bellorum: ut typographi hoc vitio dari non debeat: si librorum à se edendorum hunc delectū habeant: probentque non qui sint optimi, sed qui citò distrahi possint. Quoctiam nomine juris, & Theologiae studia florent inter cetera maximè. Philosophica vero

quo

## P R A F A T I O.

quæ sint in pretio, res ipsa evidenter docet. Italiam excipio: cuius nobilitati philosophia potissimum curæ est: loco venerationis, & compotationum: more, & consuetudine verè nobili. Nostris autem in regionibus nescio quid ipsâ possit esse respectius. Et vix quisquam inveniretur: quem eius studium oblectaret: nisi vel publicis aliquibus alliceretur honoribus: vel etiam magistratus jussu, & imperio, qui sumptibus vivunt alienis, eò adigerentur. At quónam hoc successu? Quo cætera quæ ab invitis, & nolentibus suscipiuntur. Ubi magistrorum nomen adepti fuerint: saepè etiam nescio quo jure: ad alia subitò properatur.. Hic nostros videas philosophos dimissa, vel projecta philosophia non secus exultare: quām si densis è tenebris & captivitate liberati, sui jam sint juris. In cuius ergo gratiam tantopere laborabimus: ut ad alia studia nobis, qui philosophiae Professores sumus, animum appelle re non liceat? Neque certè propterea multum à meæ professionis studio recessi: quod versibus operâ dederim emblematicis. Nam si carminis rationem excipias:

*A D - L E C T O R E M*

nihil in nostris erit emblematis quod non vel physicum sit, vel philosophicum.

Et prima quidem hæc hujuscemodi nostri laboris & exercitiū fuit occasio. Cum videtur aliquando ligna secantem, operarium quendam impulsū in nodosum truncum cuneum avellere nulla vi potuisse: qui post tamen iteratis ictibus truncō in partes divulso, & discerpto suapte sponte exiliit: facile hoc ad nostros mores accommodari posse judicavi: subitoque præceptum hoc feci: recte suscepto labori constanter insistendum esse: licet non ita bene videatur esse successurus. Quod etiam præceptum in praxi medica sæpe diligenter observari debet. Ægri namque, nisi mendacio nostra subito in melius abeat, animum abiciunt: & crebro etiam nobis obtemperare nolunt.

Cumque alio tempore per agros expatiarer (quos non procul à nostris Musæis habemus complures: majore nostro etatis, quam hyemis commodo) multas inter alias aristas demissas in flexasq; deorum, unam conspicatus: quæ ad sydera  
erecta

*P R A E F A T I O.*

erecta, & superbiens attollebatur: discriminis hujuscemodi causam animadverti facile: quod nimurum hæc sola locellis inanibus levior esset: illæ verò granis densioribus aggravarentur: quo modo videmus non gravem doctrinam, sed falsam eruditionis opinionem superbos facere. Fuerunt alia hujuscemodi permulta: in quibus animi gratiâ meipsum exercui. Quæ ut majori cum voluptate ab iis legerentur: quibus eorum copiam facturus eram: elegiacis primùm, post verò etiam plurium generum versibus à me descripta sunt. Cumq; meis convictoribus arridere cœpissent: aliis etiam studiosis aliquot adeo placuerunt: ut ea in lucem edi vellent, & peterent. At typographos nimii sculpturæ sumtus absterrebant. Ut vero meis id fieret sumptibus: res meæ non ferebant. Quod cum mei convictores animadvertisserint: hoc inierunt consilii, & inter se constituerunt: ut, si suum unicuique emblemata tribueretur & dicaretur, facta insuper potestate, qua, qui vellet, emblematis suo sua adjiceret insignia: tantum quisque preciū numeraret, quantum ad unius emblematis

## AD L E C T O R E M

blematis sculpturam satis esset. Hoc itaque cum à me petiissent, lubens eorum voluntati sum obsecutus. Ita namque pro nihilo id omnes, satis de beneficio locupletes erant habituri : quod mihi soli nimis grave fuisse. Quare ut eis gratificarer amplius : optio cuique à me data est, ex multis emblema sibi diligendi, quo delegetur maxime : ne cui forte aliquod adscriberetur emblema : quod ab aliquibus in malam partem acceptū, in ipsius ignoriam ei tributum esse videretur.. In multis enim via taxantur in genere: quorum arguere tamen in specie decet neminem.

At neque est, ut quisquam offendatur propterea: quod nullum in nostris emblematis ordinem observaverimus. Nam ut pro sua quisque dignitate locaretur: difficillimum id nobis erat futurum: nec periculo vacans, nec invidia. Quod certe malum aliter melius evitare non potuimus: quam si primo loco ponerentur, qui prius; & posteriore, qui posterius accessissent.

Etsi vero quæ adjecta sunt insignia,  
nihil

## P R A E F A T T O.

nihil ad rem faciunt emblematicam: Id ipsum tamen ea sunt, quod in hujuscemo di libris ferè potissimum queritur: & sape etiam sumptu non exiguo, Studioſa namque juventus amicorum suorum memoria, & insignium contemplatione multrum oblectatur: ut sola nominū aſcriptio hiſ amicitiae pignoribus non putetur esse satis: niſi etiā eorum appingantur insignia: quorum meminisse volunt. Non ergo nobis hoc vitio dabitus: quod hac in parte studioſis indulſerimus.

Fuerunt equidem non pauci, quibus sententia non fuit eadem. At licet insignia ſua noluerint adjicere: haud ita tam appositis aliorum insignibus offensi fuerunt: quin ſua nostris hiſce versibus nomina dederint. Neque dubium nobis est de multis: qui neque hos, neque illos ſunt probaturi. Nam ita ferè uenit: ut qui ſe aliiquid eſſe putant, ad contemptum eius quod aliorum eſt, quam ad judicium, dealiſ moderatius, ſint procliviores. Nobis ſat erit: ſi quod præstitimus, paucis placet: quando qui ſunt inter criticos, & argutos rerum alienarum censores, & caſtiga-

## AD L E C T O R E M

stigatores acerrimi, placere nequeunt o-  
mnibus'.

Qui tamen inter cæteros æquiores  
sunt: etiam mirabuntur absque dubio:  
quid operæ hac in re posuerimus: quæ à  
pluribus aliis sedulò exulta, & fortè etiam  
perfecta est ab aliquibus. Ergóne præsti-  
tum hic à nobis est aliquid, quod alii neg-  
lexerint?

Gravis equidem hæc est comparatio:  
de qua sententiam nostram proferre nos  
non deceat. Quid nobis tamen in nostris  
emblematibus maximè fuerit propositū:  
quod alii vel non observarunt, vel certè  
perraro: nobis id fortè commemorare li-  
cebit: de quo postea penes cordatos, intel-  
ligentesq; lectores erit judicium.

De meis itaq; versibus, quod ad Latini-  
num sermonem attinet, tantum abest, ut  
gloriari velim: ut ingenuè fatear, mihi  
hocvehementer dolere: quod à juventu-  
te mea studium hocce mihi non ita curæ  
fuerit, ut esse oportebat. Satis mihi namq;  
videbatur esse; si vel mediocrem commu-  
nis lingua puritatem assequerer, etiam  
absque elegantia: & quæ in aliis observas-

sem

## P R E F A T I O.

sem vitia vitarem. Athorum temporum  
alia est ratio: doctorumq; virorum ita  
sunt judicia comparata: ut ferè despiciat-  
tur, & pro nihilo putetur, quicquid in lu-  
cem editur: nisi pura sit, & elegans oratio:  
vix etiam habita rerum ratione, quæ pro-  
feruntur. Voluptatem hoc nempe est,  
rerumque colores, ipsis rebus, & utilita-  
ti præferre. Ut verò excellat in utroque  
genere quispiam: rerumque gravitas cum  
orationis puritate, & elegantia conjunga-  
tur: paucorum hoc certe est, & multò dif-  
ficillimum. Si tamen desit alterutrum:  
rhetoribus philosophos anteponimus:  
quicquid hac de re sentiant alii.

Sed de his satis: ad rem ipsam acceda-  
mus: in qua materiam, formamque & car-  
minis rationem spectavimus'. Materia  
physica est: formaque moralis: & ornatus  
exterior poëticus est. De materia primùm:  
& paulò quidem copiosius agemus: ut in-  
telligas (optime lector) quibus de causis,  
cum infinita, liberrimaque sit emblema-  
tum materia: solum id tamen assumpseri-  
mus, quod ipsa rerum rationis expertum  
nobis

## AD LECTOREM

nobis natura obtulit. De cæteris post etiam dicemus aliquid.

Duo sunt omnino Academicæ doctrinæ genera, quorum unum acrius est, & ad veritatem demonstrandum efficacius. Analytica hæc docendi ratio est, & verè philosophica. Placidior altera est, & mollior, ad demonstrandum minus, quam ad res demonstratas illustrandum comparata. Priore dimissa posteriorem assumemus. Hec dupli etiam fine contineri posse videtur: quando vel illustratur res demonstrata, ut melius intelligi possit: vel exornatur, aut conditur, ut voluptatem paret. Primi generis exempla sunt, & parabolæ. Ex historiis petenda sunt exempla: non sint ob oculos. Virtutem, ait Æneas filio suo Ascanio, disce ex me verumque labore, fortunam ex altis: quam scilicet metuere, vel sperare debeas. Et si fortuna nullis exemplis constitui: vel addiscit posse videtur: ut poteris quæ ut cætera quæ per accidens sunt, nulla ratione continetur.

Parabolis noster Salvator usus est frequentissimè. Cum enim rudem populum doce-

## P R E F A T I O.

docere vellet: ea quæ cuique obvia, & nota erant assumpsit: quibus ad propositum bene, & convenienter accommodatis, res eis divinas poneret ob oculos, & illustraret.

Ab hisce genus quoddam aliud est: quod & ipsum in similitudine aliqua consistit. Emblemata hæc sunt αὶ τὸ ἔμβλημα dicta: quod non ipsas quidem res constituunt: sed iis ornatus, & voluptatis gratiâ decenter adjiciantur. Qualia sunt quæ scriniis, aut spondis non contemnenda fabrorum lignariorum arte inseruntur: quæque firmioris instar cuiusdam picturæ animalia varia, resque alias aspectu jucundas referunt.

Emblemata ergo (de quibus hic agimus) moralium sunt virtutum aut vitiorum in variis Dei & naturæ operibus expressæ picturæ: quas rectè contemplati ad usus nostros magna cum voluptate accommodamus: modo qui noster sit, non Deus, vel naturæ. Non enim eadem ut præstems nostræ ferunt facultates. Sed tum demum naturamque Deumq; dicemur esse imitati: quando ad ea, quæ nobis à Deo, &

**A D** L E C T O R E M

natura in hoc universo virtutum objecta sunt exemplaria nostros mores composuerimus. Natura namque bene, beatéque vivendi dux est optima; ne cum iis labi, & errare videamur: qui naturam vitiorum omnium scaturiginem esse putant: quasi quicquam fecerit Deus, quod nos ab eo abstrahere possit. Huic similis alia est infania: Philosophiam ( quæ operum Dei cum recta ratione est contemplatio ) errorum esse doctrinam, manifestè cum veritate nobis divinitus patefacta pugnantium. Nesciunt homines isti nativos rerum colores à fucis discernere. Naturam iniquum est id dici, quod ad naturam ob peccatum accessit extrinsecus<sup>s</sup>. Absit autem à nobis insanum hoc & furiosum hominum imperitorum dogma: qui peccata faciunt naturalia: vel ipsam quoque volunt hominis naturam, essentiamq; complere. At nostra hic forte est accipienda natura: non ea quæ brutis inest animalibus, aut aliis etiam corporibus, vitæ sensusque expertibus, Ut vero illud insiciari nequaquam volumus: ita neq; hoc propter caverum est. Nam & nostram, & eam, quæ aliorum

**P R A E F A T I O.**

aliorum est, naturam sequi debemus: Cum in nobis vix quicquam sit, quod cum aliis non habeamus commune: quodque est aliorum, id aliqua etiam ex parte ad nos non spectet. Homines sumus, & alii sunt. At animalia etiam sumus, & corpora sumus naturalia. Ne quis putet in hac renum universitate quicquam esse, quod non ad nos pertineat: vel cuius aliqua in nobis non sit expressa imago. Rectè igitur in officiis Cicero. Sic enim est faciendum, ut contranaturam univerlam nihil contendamus: ea tamen conservata propriam naturam sequamur. Neque vero Philosophiam in mera & profunda contemplatione demergimus: atque si felicissimus ille sit, qui ne homo quidem est amplius. Miror etiam mentesne ullæ sint omnis expertes materia: quibus hæc sola tribui debeat contemplatio. Nos certe felicitatem nostram ei philosophiæ acceptam ferimus: quæ nos à vera operum Dei contemplatione, & voluntatis ejus cognitio ne ad perfecta virtutum opera dederit. Hic idem quoque finis est emblematum Christianorum. At vero ut emblemata

## AD L E C T O R E M

hæc suis propriisq; limitibus contineantur: amoveri debent multa; quæ in hocce theatrum emblematicum, poëtarum animis & versibus in hoc genere nimis, & in consideratè luxuriantibus irrepserunt. Vix enim quicquam fingi pingique possit: quod non in emblema vel abierit, vel etiamnum abire possit. Hic via patentे plena cuique facultas est quidvis comminiscendi: ubi nescio quas rerum confitarum videoas imagines: ut mirari meritò possis, quid ex tanta varietate possit elici, quod & certum sit, & emblematicum.

Hinc etiam ad principum, nobilium, & ignobilium ventum est insignia: quæ materiam emblematis præbent amplissimam: ut in varios sæpe sensus trahantur: de quibus ab initio minimè fuit cogitatum. Id enim primi authores ferè solùm spectasse videntur: ut iis tanquam propriis notis familiæ nobiles à se invicem, & ab ignobilibus discernerentur, & dignoscerentur.

Petuntur etiam ex fabulis poëticis emblemata; quemadmodum ex iisdem quoque

## P R A E F A T I O.

que fabulis argutè expositis res naturales describuntur: quod suavissimo carmine gallico præstigit G U L I E L M U S de B A R T A S. Et optima quidem varietate. Cùm enim utilibus ex rebus queratur voluptas: etiam in suavibus negligenda non est utilitas. Ut verò non idem placet omnibus: fabulis alii delectentur poëticis: naturam nos sequi malumus, quām ut nostro in carmine, vel emblematis ullum poëtarum figmentum locum habeant, Síque magnæ magnis fabulæ convenient: nos parvas pueris tamen meritò concedimus: quales sunt Æsopicæ: in quibus tristissimum illud ἐ μνθος δηλοῖ manifestam præbet utilitatem.

Quin & magnorum etiam virorum res olim gestæ picturi emblematicis imitandæ proponuntur: quæ tamen exempla sunt, & generis quidem alterius: in quo res una & eadem in subjectis numero solùm, non specie discrepantibus spectanda & imitanda depingitur.

Etsi verò liberum hoc est scriptoris genus: ut unusquisque pro arbitrio quidvis assumere possit condendis emblemata;

## AD L E C T O R E M

cibus. Hic tamen ordinem desyderamus maximè: ne (quod fieri solet) variè varii generis emblemata inter se misceantur. Cumq; rerum natura parens in hoc genere nobis omni ex parte possit satisfacere: tum ut sit quod emblematis probè conveniat: tum ut sit satis: Quicquid aliis videatur: nos emblemata nostra maluimus hiscè limitibus contineri. Cùm enim hic emblematum decor, ususq; sit potissimum: ut illustrent, condiant, atque confirment præcepta moralia: naturam certè præstare imitari: quām nescio quæ imaginationis humanae monstra: quæ non magis firma, & certa sunt, quām muscarum gyri in aëre volitantium. At natura tamen res nobis offert, quæ verè sunt, certoq; & stabili es- fentiæ suè modo nostros afficiunt sensus. Quis verò non malit ad opus suum aggredi- furus certos canones, & firma in rebus firmis, atque constantibus exemplaria, quām in aqua, vel aëre varias mobilesque figu- ras imitari?

De rebus autem arte factis si quæra- tur: eas judicamus, ad hoc etiam rerum emblematicarum genus posse referri. Na- turales

## P R A F A T I O.

turales enim sunt maxima ex parte: nec arte fieri quicquam potest, quod nō in aliqua re naturali consistat: ut ferè naturæ acceptum sit ferendum, quicquid ex rebus arte factis petitur. Dentata in utramque partem serra latos facile secat asseres: cui si asperitatem simul cum dentibus de- mas: hunc usum amplius præstare non poterit. Et verbis sua est etiam conce- denda asperitas: non illa quidem, quam vulnerum D E I, sacramentorum, & ele- mentorum tonitrua horribilem faciunt & execrandam: sed quæ verbis etiam mitio- ribus rationis aut legum virtute potest terrorem iis incutere qui deliquerint. Dejanua simile aliud est:

*Iuvo clausa, patensq;.*

Non ergo res olim gestas, neque confi- das variè: sed naturam volumus confici- dis emblematis, subministrare materiam. De qua tamen non parva oritur difficul- tas. Et videbimus hic fortè rebus natura- libus miros affingere usus'. Non enim natura est intelligens, ut docere nos pos- sit. Nosq; cum simus intelligentes, naturæ

## AD L E C T O R E M

debemus præesse potius, quam ab ea regamur. Quod equidem artificum satis ostendit industria: qui naturam complent ratione. Quæ cum ita sint: ut nos ex hac expediamus difficultate: paucis de natura ejusque usu vario agemus. Naturam inconfesso est nullo rationis uti adminiculō: quam docet tamen Aristoteles secundo Physicorum agere quicquid agit ἐνεργεία: cùm agere propter finem solius intelligentis esse videatur: nempe ut consultatione aliqua quod futurum est prævidere possit. Ecquid igitur? Tribus tibi verbis ex Aristotele satisfiet: ubi rem intellexeris. καὶ τοι, καὶ η̄ τέχνης εὐλεπται: at neque ars consultat. Hocalii ut volent interpretentur: nostra hæc est expositio. Non hoc artis est, ut artifex quod facit propter finē faciat: ob id errat, qui verba hæc ad artificē referunt: cùm de arte loquatur Aristoteles: cuius non est de fine cōsultare: sed alterius cuiuspiam intelligentis animæ facultatis: qua cùm præditus etiam sit artifex, finem ipse sibi suum proponere potest, priusquam operi manum adhibeat. De appetitu quæstio est eadem: quomodo moveri possit à bonis

## P R A E F A T I O.

bonis externis, & sæpe etiam absentibus: cùm neque sentiat, neque sit intelligens. Responsio in promptu est. Non partis hoc hujuscem solius est opus: sed totius, quod & appetit, & sentit, & intelligit. Naturam absque Deo consyderes: hanc meritò miraberis ullum posse spectare finem: cùm neque sensu, neque ratione sit prædicta. Progrediendum ergo est ulterius: ut agens illud infinitæ sapientiæ, potestatis, & prudentiæ agnoscamus, quod naturam ad hunc ipsum finem direxit: datis ei viribus, quæ ad hunc consequendum possente esse satis. Ad finem ergo natura contendit non consultatione, aut prospectu aliquo, sed impulsu quodā essentia: quæ naturalis quædā est necessitas verius, quam voluntatis motus συνάμη ἀντιφασίας liberoris. Locus in metaphysicis est à proposito non alienus: in quo architectum operis intelligentem cum operariis confert Aristoteles: inquiens, hos facere quidem ea, quæ ad finem ducunt: sed non intelligere tamen quid rei sit: οἱ δὲ ὁδοὶ καὶ τῶν αἰτιών ἔνα, ποιεῖ μὲν, ότι εἰδόται δὲ ποιεῖ, οἷον καὶ τὸ πῦρ. Atque hæc de consultatione, quæ

## AD L E C T O R E M

causæ est primò efficientis. Nos hic jam in natura spectamus aliud: nempe ut ejus operibus fruamur, & cum ratione utamur. Non est ipsa quidem intelligens; at ei quod deest nos supplere possumus ratione.

Duplex itaque est operum naturæ usus. Nam aut proprius est, & verè naturæ, ad humanæ vitæ sustentationem comparatus: aut adscitus aliunde. Nos seposito priore posteriore explicabimus: qui multiplex est; prout ad varios fines res naturales variè usurpantur.

Josuæ 24. Cum Deus populum suum in gratiam recepisset: in foederis ejus confirmationem Josua saxum sub queru veluti testem rerum actarum, sacrumque signum constituit.

Sæpe etiam rebus naturalibus corporis, & in nostros sensus incurrentibus demonstrantur ea quæ nostros fugiunt sensus. Ita Spiritus sanctus in Baptismo CHRISTI sub specie columbae comparuit. Actorum 10. Petrus in ecstasi vidi aperto cœlo variæ generis animalia: quib. ut impuris JUDÆI vesci non poterant. Ea gentes designabant:

## P R E F A T I O.

bant: quas Deus in gratiam recepturus, & purgaturus erat: ob id Petrum de cœlo vox audita repræhendit: quod quæ purgasset Deus impura dicere non debuerit. Semen, quod in terram mittitur, regnum, verbūm vero DEI. Vitis autem Johan. 15. CHRISTUM ejusque fideles designat. Manna Judæorum, Exodi 11. cibi cœlestis typus erat: cuius meminit noster Salvator, Johan. 6.

In hoc etiam genere contineri posse videntur Ægyptiorum Hieroglyphica: qui figuris animalium loco scripturæ aut sermonis animi sensa exprimebant. At Pythagoræi progressi sunt ulterius. Nam & ipsas animalium formas (τοῖς φίσις τοῖς τῶν φυτῶν ἀφορμαῖς ἐξουσιῶντες metaph. 14.) & res etiam quasvis alias immo metaph. ex numerit constituerunt: in quibus videbantur sibi videre ἀμοιάματα πολλὰ τοῖς θεοῖ.

Atque hi rerum naturalium usus in significatione consistunt. Nam quod de sacramentorum virtute dici possit: id rerum externarum non est, sed internæ Sancti Spiritus operationis. Ex quo magorum & im-

## AD LECTOREM

& impostorum medicorum impudentia satis apparet, qui miro adhibitis a d opera sua rebus naturalibus tribuunt effectus, hocque astu facile decipiunt imperitiores. Cui simile & hoc est. Ut magicæ improbitatis suspicionem effugiant, ipsius etiam De in omen assumunt, & aliquot loca ex sacris literis allegant. Alii verbis ipsis vel prolati vel appensis: aut etiam literis vel figuris miras adscribunt vires.

Neque vero minus hisce ridicula sunt superstitiones Medicorum. περιάμματα vel περιπτα: quæ corpori appenduntur, ut cutem ipsam contingent. Cujusmodi est quod præbet Trallianus lib. 12. ad febriles rigores avertendum. Oleæ filio ante Solis ortum decerpto characteres καρκινα vulgari atramento inscribuntur. Haud equidem imus inficias, quin hæc sæpen numero quod pollicentur, id præstent: sive id utensium fiducia fiat, & spe salutis animum naturamque adversus morbum confirmante: sive Deo aliquid superstitioni concidente.

Sed multò maximè impius est eorum usus, quæ cùm naturalia sint, minimè ramen

## PRÆFATI O.

men agunt naturaliter, sed ea quam eis codæmon addit virtute. Quæ quidem qualia sint, ex illo unico chirurgorum unguento satis intelligitur: quo ex multis & herbis, & radicibus confecto gladius, aut quodvis aliud instrumentum, quo vulnus cuiquam illatum fuerit, non ipsum vulnus inungitur: de quo hæc olim ad me scripsit vir magnificus & generosus D. ANDRÆA S. DUDITIUS. Addo ad hæc; quæ copiosius persequi ad te scribentem, non est necesse; constellati illius unguenti (ita enim vocant) fama ad vos jam pridem, ut credo, pervenit. Sunt certæ fidei barones, & alii amici mei, qui dejerant gravissima vulnera illo unguento persanari; si tela, quibus inflicta sunt vulnera, illinantur, & obligentur. Ac quod etiam magis mirabile est, si quis tela ad ignem admoveat, ad frigidum aërem, aut aliâs negligentius curret, vulnerati magnos cruciatus, noxamque persentiscunt. Quid hoc esse putem? Ea certe, quæ ad ejus unguenti confectionem adhibentur, nec manifestam, neque occultam hujusmodi vim aliis rebus ostendunt. Si ad incantationes con fugias,

**AD L E C T O R E M**

fugias, nova quæstio oritur. Si fidem hæc perficere dicas, quæram item, quomodo actio fiat sine contactu, quomodo πάθος illud animi agere in corpora ἔχει & aliena queat.

Atque præter hos omnes aliis est etiam rerum naturalium usus, quas nobis Deus Opt: Max, non ad necessitatem, modò, sed etiam ad delectationē comparavit. Voluptatis hic usus est: quæ sua est non sensibus solùm, sed & ipsi etiam menti: quando quæ pulchra sunt cum, delectatione percipimus, & verè contemplamur: iisque cum voluptate fruimur, quæ suis suavibus, & jucundis qualitatibus naturæ nostræ convéninnt.

At verò ab hoc etiam usu distat aliquatum emblematica rerum naturalium imitatio: utpote cuius finis sit præter earum rerum contemplationem, & perceptam ex ea contemplatione voluptatem, utilis bonarum virtutum doctrina: quando scilicet illa Dei, & naturæ ēlēματα nostris accommodantur moribus.

Dum autem naturam sectamur, regatione nobis est progrediendum: ne-

tam-

**P R A F A T I O.**

eamquam cæci à via virtutis aberremus. Quia in reduplex est cautio: tum ne quidvis imitemur: tum etiam ne quod contra bonos mores est, emblematicè doceamus. In illo error est: in hoc etiam est malicia. Errorem dicimus: si quicquid in feris est animantibus, aut aliis rebus naturalibus, id absque discrimine velis imitari. Nam (ut paulò ante ex Cicerone monuimus) naturam universam ita conservare debemus, ut propriam sequamur: quam si quis omiserit, alienam volens imitari: fieri non potest, ut universæ vitæ suæ, & singularum actionum æquabilitatem, conservet: qua nihil est (ut idem ait Cicero) magis decorum. Neque tamen ob id mala est rerum aliarum natura, quod eam nos imitari non deceat. In nobis enim sit malum, quod in aliis malum non est: nempe si cum natura nostra id pugnet. Ira in cane non est in vitio: nec feritas in lupo, vel voracitas. Ignis seipsum sistere non potest, quin omnem quam contigerit ustilem materiam, absorbat, & devoret. Lapis cum deorsum fertur, ex seipso quiescere non potest. Hæc

iu

## AD L E C T O R E M

in hisce bona sunt : in homine non item. Nam liberè vivit, & perficitur: ut cùm in voluntate sua ~~sv̄as~~ habeat, qua velle & nolle possit: ratione seipsum etiam contineat, & sistat.

Sed in aliis etiam malicia est, & improbitas: ut si quem velis levi de causa irritatum ad extremam vindictam concitare, duras in mari cautes ob oculos ei pictura ponas emblematica: quæ naves in se tempestatis errore pulsas, non repellunt modò, sed confringunt penitus. Quæ plus quam ferina ultio in hominem cadere non debet. Cavendum ergo est, ne quid emblematicè interpretemur, quod sit contrabonos mores. Atque hæc & alia emblematum vitia cum demum facile vitabimus: si morum præcepta non primò constituantur emblematicè. Nam in emblematis magna est in utramque partem varietas. Sed hæc ubi à Philosopho moralis constituta fuerint, egregius postea illustrerent emblematis. Non est ex Apocalypsi primùm discenda Theologia. Neque tamen propterea negligendus est emblematum usus: quod ad benè, beateque viven-

## P R A F A T I O.

vivendum moralis philosophia possit esse satis. Non enim stoica hæc austertas competit omnibus. Sed cum plerisque hominum agendum est mitius & mollius. Grammaticorum spinosa & cōtentiosa asperitas ludo contemperatur etymologico. Neque nos solo pane, & aqua vesci voluit Deus: varios etiam cibos, & condimenta multiplicia nobis, ipse ad voluptatem concescit benignè, & liberaliter. Moralia etiam præcepta jucundis depicta emblematis, cum voluptate acceptantur promptius: quæ sola tamen non est utilitas. Nam præcepta hæc hujuscemodi picturis illustrata melius intelliguntur. Et cum nobis hæres emblematicæ ob oculos versantur, de moralibus illis præceptis saepe admonemur: quæ contemnenda non est ad mortis.

Hæc sunt (humanissime lector) quæ de emblematis in genere: & in specie de Physicis dicere voluimus. Ex quibus non ipsa modo nostrorum emblematum materia, sed etiam forma quæ sit intelligitur. Res namque naturales emblematica insertione, & applicatione ad mores no-

## AD L E C T O R E M

stros ethicæ fiunt, & formam quandam  
moralem concipiunt: quæ certis virtu-  
tum præceptis continetur, & describitur.  
At dum, hic non nihil videmur præsti-  
tisse: quicquid hoc tamen sit, merito fate-  
mur nondum esse satis. Nam nec omnia  
virtutum genera complevimus: nec ea  
quæ attigimus in eum digesta sunt ordi-  
nem, qui moralibus præceptis est conve-  
niens. Cumque difficillimum hoc sit: ut  
quod deest, compleatur: si tamen nostrum  
hocce studium, morum & poëeos studio-  
sæ juventuti placeat: operam dabimus: ut  
naturalis hæc morum philosophia, quod ad  
eius fieri poterit, à nobis maximè perfecta  
in lucem aliquando prodeat.

Exterior autem forma certa quadam  
constat partium conjunctione: quæ par-  
tim carminis est, & metrica: partim vero  
totius compositionis: & emblematica di-  
ci potest. Exteriorem vocamus: quodd  
& in prosa: & alia etiam rerum, partium  
que dispositione constitui possint sym-  
bola & emblemata: qualia sunt quæ nu-  
per in lucem edidit doctissimus vir, & val-  
de solers, & industrios D. JOACHIMUS

CAME-

## P R æ F A T I O

CAMERARTUS, clarissimorum JOACHIMI  
MORUM & P. & F.

In carmine sua tamen quædam major  
est quam in oratione soluta suavitas: qua  
nobis certè fuit opus vel maximè. Nam si  
quod metricum est, nostræ demas ora-  
tioni: quod reliquum erit, omni vacabit  
elegantia, nec cum voluptate legetur.  
De nostris autem versibus nihil terè est  
quod commemoremus. Tales nempe  
sunt, quales eorum sunt, quibus hoc exer-  
citii genus non ἔγενετ, sed πάρεγέν. Si  
seissem in mea juventute, quid post futu-  
rum esset: diligentius certè priores legis-  
sem poëtas. At consules hoc (amicus le-  
ctor) quicquid est æqui bonique: Cumq;  
nobis facultas desit: satis id erit tibi quod  
præstare potuimus. Sique nihil aliud  
placeat: hoc tibi tamen forte placebit:  
quod ita hæc emblemata composueri-  
mus: ut ex præfixo hemistichio facile cu-  
juslibet emblematis summa, sensusque  
possit intelligi. Dein quod materiam  
ipsam ex illustri rerum, naturalium  
theatro desumptam breviter proposue-  
rimus, & exposuerimus. Postea vero pa-

62

ribre

**AD LECTOREM**

ribrevitate moralia, præcepta descripsimus: quæ rebus antè propositis applicari, & accommodari posse videbantur.. Quamvis autem huic operi annos jam aliquot impenderimus: nondum omnia tamen emblemata perfici potuerunt: tum aliis de causis: tūm quod sculptor noster aliis etiam pluribus operam suam comodaverit: & procul etiam à nobis absfuerit diutius quam fore putabamus. Ut vero editionem differremus amplius: consultum non erat: non tam nostro, quam studiosorum nomine: quibus editionis mora & gravis, & molesta erat. Quæ fuerunt ergo reliqua: ea cum cæteris etiam absque imaginibus excudi curavimus: ut si qui suis forte nominibus, & insignibus adjectis nostrum hoc opus emblematicum decorare vellent: ex iis quæ præcæteris magis placerent, sibi ead deligerent. Ita enim compleri posse judicavimus: quod alias absolvit absque graviore mora non poterat. Neque ictus est, ne altera editio nimis diu differatur; cum certis de causis pauca excusa sint

**P R A E F A T I O.**

sint exemplaria. Vale humanissime lector: & his si potes, aut lubet utere cum voluptate.

Altdorffii Noricor. Mense Augusto, Anno M. D C I I.

*Nicolaus Taurellus  
Physices & Medi-  
cinæ Professor.*



# IN CAESALPI- NUM PHILOSOPHVM ITALVM, PRO CLARISSIMO VIRO, DD: NICOLAO TAUREL- LO, Philosopho Ger- mano.

*VI* pollere negat te Cæsalpine sagaci  
Ingenio, & mira mentis & artis ope,  
Ille caput prodit fatuum, nec judicat  
(aequè :  
Nam tibi & ars docta est, mens & acuta satiis.  
Dignata sed quite vanas atque sophistica dicit  
Tradere, quaçq; animis sint inimica piis,  
Verior hic, ullum quam Phœbi oraculum, & acris  
Iudicio, magno major Aristotele.  
Res ergo humanas Deus haud intelligat, ille  
Providus, haud cures, cuncti potensiæ Deus:  
Heu procul à nostris laribus monstra ista fugentur,  
Ad Scyphicas rupes, Cimmeriosq; lacus.  
Roboris hoc Taurelle tui est, & Apollinis arcus  
Pallados & clypeo qui bene tutus agis.  
Perpetuas meruit laudes Tyrinthius, olim  
Expurgat monstros dum loca quæque feris:

Ne

Ne valeam, nisi te comitatur fama perennis,  
Qui Cæsalpini dira venena necas.

Hier: Arconatus Cæs: Majest:  
à Secretis Bell. Pragæ F.  
22. Maii 1597.

## DE OPERIBUS PHILOSOPHI- CIS CL. V. D. Nic: Taurelli Phy- sici acutissimi qua gravioribus qua amænioribus, Encomiaстicon Carmen.

CVNRADI RITTERSHVSII. I.C.

**S**O T A hominem Natura docet quasi fidâ magistra,  
Et jubet erectos ad cœlum attollere vultus,  
Vociferans tacita præconia maxima voce:  
Discite mortales, quâ sitis origine nati:  
Discite vitam agere ætheria quoque origine dignam,  
Et docili dictata salubria tradite menti.  
Humanos opifex summus fabricavit ad usus  
Me totam: humanos me accommodo semper ad usus:  
Sive necesse sit, & me sustentatio vita  
Exigat: ornamenta magis seu grata petantur:  
Seu cunctarum adeò rerum regina voluptas.  
Omnia de gremio liceat depromere nostro:  
Hinc undante fluit largissima copia cornu.  
Felix, qui recte scit munera sumere tanta,  
Auctorij; meo gratam dependere mentem,  
Et vinculis unire olli se gestit amoris:

vi

64

A

At miser, ingrata carpens ea munera dextra:  
Huic laquei omnia sunt, intinctaque toxicæ melle,  
Naturæ has voces, tacitas & præconia linguae,  
Naturæ interpres bene conscius arcanorum.

TAURELLUS, linguaq; diserta & pectore acuto,  
Accipit ac reddit, per docta volumina fundens,  
Posteritas magno quæ non legat absque stupore,  
Divitis ingenii flumen mirata benignum.

Hic nunc majus opus per amica silentia noctis  
Pervigil extornat, cæsas & perpolit Alpes,  
Magno & Aristoteli dicta atque indicta revolvit,  
Illustri Sophiam statuens in luce videndum:

Nunc paululum è tanta rerum gravitate remittens,  
Nata interq; manus Emblemata suavia fingens,  
Per lusus doctos Lectorem ad seria ducit.

Qui quis es, ore fave: & seu feria scripta revolvas

TAURELLI, genium mirere & texta laboris  
Ardua: sive oculos animumq; ad ludicra flectas,  
Magna etiam parvis, dic, constat gratia rebus.



TAURELLE magni si quis Apol-  
(linis

Vtrisque juxta clarus ab artibus,  
Famâ sibi laudem eviternam,  
Perpetuante, superstabit:  
Vtrisq; certè tutem et artibus

Nun-

Nunquam senentis clarus Apol-  
(linis,

Famâ tuum aeternante nomen,  
Compos adorè à eris perenni.

Nam semi vivis auxiliaria  
Seu fidus ægris pharmaca temperas  
Manentibus jamjam senectum,  
Porthmæa cis Phlegetontis a-

(ctam,

Internecivis penè doloribus  
Latata succis corpora vividis  
Torrente ab infernate lucis

Aërias revocas in auras:  
Seu verba claustris libera metricis  
Arctare sumis, carmina dispares

Nectens ligaturâ, decenter  
Vt titubet pede Musa claudio,  
Chorus sororum totus Hyantidum

c 5

Ipse

Ipse & sororum præses Hyantidum  
Phœbus tibi nil mortuale  
Adstupet attonitus canenti.  
Hinc ut alter sis Epidaurius  
Vel ipse Paon vel Podalyrius:  
Pelignus hinc vates vel Vmber:  
Artibus unus utrisq[ue] pollens.  
Non hac adulans auribus oggero  
Tuis, recepto vulgus ut assolet  
Rituciniflonum, expeditum  
Illice sublinere ora palpo.  
Nec te immerentे tres sis adulteris  
Picturo laudum mango coloribus:  
Emblematum en bellatulorum  
Nonne opus id solidum me-  
(retur?  
Quo funerari quippe vetabere  
Omnis, roga le effugiens pyras:

In

In teruet vis manca Fati  
Omnidomo imperiosa sceptro.  
Errore ductus me tamen autumas  
Dignum, novelli pars quota codocis  
Emblema qui tute ruinam,  
Arboris à nimio trahentis.  
Ramos gravantum pondere fru-  
(ctuum):  
Qua copioso luxuriantium  
Auctu priu[us] densata florula  
Fuge decus stetit arboreti:  
Post fructuosa larga feracitas  
Incommodavit: libera quā nimis  
Taxatur argutè voluntas  
Effigie benefacta acervans,  
Ac disciplina multijuga capax  
Suis q[ue] abundans ingenium bonis:  
Vtrumq[ue] gignens uberante  
Exitium sibilargitate.  
Sunt

Sunt literata nempe scientia  
Viri potentes, scita quibus dicans  
Emblema ta argutationum,  
Plena sacras lepidissimarum.  
Errore ductus me quibus aggredas,  
Prastantiorum de numero ratus  
Vatum esse me, cantata quorum  
Tergeminio volat orbe fama:  
Haud invenisti Trunccius ingenii  
Dum fortè nostras nescio qua tibi  
Monstrare nugas crassioris  
Non dubitavit opus Mi-  
(nervæ.  
Hinc te flagrantem corripuit no-  
(vus  
Serpens medullas in penitas amor,  
Ignotus ignotumq; amico  
Prosequeris deamans favore.

Ab

Ah parce tantis addere me viris,  
Quies cōparandus sic venio, ut la-  
Fretensibus latèruentis (cus  
Océani equiparatur undis.  
Altùm virentes sessilis areas  
Vernantib; horti corchorus indebet:  
Stridente deformat sonore  
Anser amœnisonos olores.

T. Excell.

Addictiss:

Martinus Stobæus<sup>s</sup>  
Boruss: Marienburg,

Ante

Ante retrosum.

Adjumentum prudentiae studiosam.



*Cum licet ancipitis se et abere commoda cancri:  
Et quovis disces vivere posse solo:  
Qui fraudatus aquis : siccotamen aere vivit:  
Et lento properans itque , natatque gradu.  
Hostem quando fugit , qui prospicit ante : retroque  
Paulatim carpit quas iuvat ire vias.  
Si nocet ire : gradum revocabis: at ante quid obstet  
Spectabis : rebus prospiciesque tuis.*

Leviter si tangis, adūrit.  
Ad Marcum Christophorum Gugel Norib.



Urticam si quis contingat molliter, uret :  
Et timidas ledet tacta borago manus.  
Hac tamen intrepido franguntur spicula pressu :  
Hacque omnis subito pellitur arte dolor.  
Res age: non magnis nec neglige viribus hostem:  
Sed leve quo poteris robore tolle malum.

A

Dicit

Dum ruperit ilia sanguis.  
Ad Carolum Scheurl Noribergensem.



Squamosum crocodilus alit, perimitq. draconem:  
Et sua disrumpit sanguine membra culex.  
Hic sitit humanus dum ruperit ilia sanguis:  
Et sitit hic dum sint ilia rupta, merum.  
Si licet, optatis tua comple gaudia rebus:  
Sed cave ne superet lata cupido modum.

A 3

Preci-

Præcipitata nocet vindicta.  
Ad Paulum Volkammer Noribergensem.



Saxum quo petitur frendenti percitus ira,  
Dentatoque tremens arripit ore canis.  
Suscitat ista canis spectantibus ultioris sum:  
Quem morsus jactu ludit, obestq; magis.  
Si quid es ulturus causas exquirere modumque,  
Ne temerata prior sit ratione manus.

Levitatem superbit, & extat.  
Ad Christophorum Paulum Gugel Novib.



Cernis ut optatis fæcunda est meſib⁹ aſtas:  
Et dominum quanto fœnore ditet ager.  
Una ſed ecce alias ſupereminet inter ariftas:  
Quæ celsa erectum tollit ad aſtra caput.  
Scilicet hæc multis, at inanibus aucta locellis  
Effertur: dum nil quo retrahatur, habet.  
Quem leuis affurgens effert doctrina, ſuperbit.  
Nam ſcit, qui doctum ſe putat eſſe, nihil.

*In sunt meliora, latentq;  
Ad Danielem Modlerum Norib.*



*Aspice quam grato niteatque micetque colore  
Malum, virgo sua quod gerit ista manu.  
Exteriora placent forma: meliore sed usu  
Præstant, que tenui cortice tecta latent.  
Quinquis es ipse tuo nimium ne crede colori.  
Cortex hic subibus, qui nitet, objicitur.  
Internas et iam virtutibus excole partes:  
Externum ut superet mens bonitate decus.*

*Bella*

Bello hæc & pace juvabunt.  
Ad Christophorum Rodolphum Gugel Nor.



*In sua terrestris teneras erimaceus uvas  
Horrea solerti dexteritate vehit.  
Incubat in molles figens sua spicula baccas:  
Hocque ferens te<sup>c</sup>to corpore pondus, abit.  
Cornua si tauros: hunc & sua tela tuentur:  
Tempore tela ferunt hæc quoque pacis opem.  
Quæ bello virtus, & quæ prudentia bello  
Profuit: hæc etiam pace probata juvat.*

Ut

*Ut sit vox irrita: latrat.*

*Ad Jacobum Rößlerum à Buchenreut Sile-  
sum Franckensteinensem.*



*Crebris ut saliat latratibus ecce catellum:  
Qui fugat intrepidos, persequiturque canes.  
Magna que cum diro minitetur vulnera morsu:  
Solo dispercent voxque, mineaque sono.  
Irrita promoto convitia despice gressu:  
Quasque movet nullus viribus ira minas.*

Sit sc̄ma, firſt.

Ad generosum ac nobilem D. Iohannem Adae-  
mum, à VVolfſtein, Baronem in ſu-  
periori Sultzburg: & D. in  
Pyrbaum.



Rustica plebs nimium civilibus invida formic,  
Quidvis pro pulchro, ſi modo proſit, habet.  
Noſtra ſed urbanos præfert Republica mores,  
Hac q̄, cavet ne quod deſit in urbe decus.  
Si datur, atq; decet, non eſt ſternenda voluptas:  
Authorem quaſe gaudet habere Deum.

B

Danten

Dantem data munera ditane.

Ad generosum ac nobilem D. Iohannem Alber-  
tum à VVolffstein, Baronem in su-  
periori Sultzburg: & D. in  
Pyrbaum:



*Ditans ditesco, nec sunt mihi munera fraudi:  
Meferus accurrēns cum populatur aper:  
Qui juvat effossis rostro radicibus: & quod  
Auctum cung, putes posse nocere, vorat.  
Si quid surripitur tibi quod tamen utile non sit:  
Hoc tibi jactura non decet esse loco.*

*Alieno pondere tollor.*

*Ad nobilem virum Georgium Vischerum  
Præfectum Dominatus Pyrbau-  
mensis.*



*Tollitur oppositæ lanx altera pondere lancis :  
Sursum nempe minus pondera pondus agunt.  
Ergo suis ut te delictis evehat alter:  
Culpa vide laudes ne gravet ulla tuas.*

*B* ;

*Tandem*

Tandem putrefacta resurgent.

¶ Ad nobilem virum Iohannem Christophorum  
Kratzerum à Langenpruck, Aule,  
VVolffsteiniana prae-  
ctum.



Fertilis exhilarat sperantes terra colonos:

Huic que mandarint semina quando putrent.  
Solis enim tandem vivent agitata calore:

Multaq; fæcundo fænore grana ferent.  
Quin & nostra Dei iussu putrefacta resurgent:

Vt repeatant animas corpora queque suas.

Spem facit hanc isto nobis emblemate Christus:  
Pulso ut certa metu sit, stabilisq; fides.

Veratq; gelascere motus.

Ad Gulielmum Pæderum Ambergensem.



Cum glacialis hyems amplissima flumina duret :  
Stagnantesque suo frigore cogat aquas :  
Non finit hunc fontem, rivumque gelascere motus :  
Atque citata gelu dum fluit unda cavet.  
Quin Sudore gelu sic pellimus : & proculacta  
Sedula pauperiem cura, laborg. fugant.

Spectatur funus ob ignem.  
Ad magnificum ac generosum D. Andream  
à Cochtitz, D. hereditarium domina-  
tus Lublinicensis.



Fumus praeclarum qui flammæ lumen obumbrat:  
Conspicuus non est hic sine luce tamen.  
Atque ita sepe leves in aperto corpore nævos  
Candida conspicuus forma, gravesq; facit.  
Inclita quin etiam virtus leve crimen adauget:  
Qualia in obscuris criminâ sepe latent.

Data

Data leniet esca furorem.

Ad VVolffgangum Michaëlem à VVolfsthal.



Efferus humanas crudelia pabula carnes  
Mactat, & insano devorat ore lupus.  
At furor iste tamen saturato ventre recedit :  
Mitus & est subito qui ferus ante fuit.  
Cur bene moratum te faustis copia rebus  
Non faciat : mitem si facit esca lupum ?

Capa

*Capto replet atria cantu.*

*Ad Bartholomaeum Fugerum Düs sen.  
reutinum.*



*Quæ spreto virides per agrabat murmure sylvas:*

*Libera difficilem querere jussa cibum:*

*Hæc replet exultans grato resonantia cantu*

*Atria: deq; cibo certa triumphat avis.*

*Sape juventutem neglecta insania legis:*

*Et libertatis sape fefellit amor.*

*Provida quando regens lex utile jungit honesto:*

*Huius quisque sua sponte subito jugum.*

*Fructus*

Fructum quæ floruit offere.  
Ad Georgium Lauream Vratislavienſem.



Fructus quæg. suos, quæ floruit, exhibet arbor :  
Hoc g. suæ signum fertilitatis habet.  
Virtutis pueriflos est reverentia vestræ :  
Et vera junctus cum probitate timor.  
Flos quoque doctrinam mentis præcedit acumen.  
Et stabili doctos sedulitate facit.

C

A quo


Aequo rapidissima cursu.

Ad Iohannem Ulricum Seidelmeier Prae-  
fatum cœnobio Gnadenberg: in P.C.



In tanta nihil est perennitate  
Quod non syderei supereret constantia motus:  
Sydera nempe Dei veracia dicta, fidemq;  
Authoris referunt sui, probantq;  
Et nos hec etiam spectata exempla sequemur:  
Ut sit nostra Deo fides, & astris  
Conformata: metu cadatq; nullo:  
Quamque suo nequeant mendacia flectere nisi.

Motu parit unda salutem.  
Ad Paulum Freherum Augustanum.



*Navis ut offendens vi fluminis acta superbum  
Ad pontem, veetas exoneravit opes :  
Dulcia Brisaci gustantes pocula montis,  
Absq; cibo bibimus strenue, & absq; siti.  
Ast aqua nos subito pernicibus extulit undis :  
Atque salus, quod mors debuit esse, fuit.  
Ne nimis effrenes fortuna horresce procellas:  
Ipsa etiam veniet morte vocata salus.*

C 3

Quæ

Quæ nocuere juvant.

Ad Iohannem Lobellum Oringiacum.



Scorpius oppugnat, quod contulit ante venenum :  
Cladis at est usucerta medela sua.  
Multaque producens animalia noxia tellus :  
In plantis etiam multa venena fovet.  
Nil tamen est, quod non à se data damna rependat :  
Et quod non aliqua dote, vel arte juvet.  
Quisquis ergo tuis enitere viribus : ut si  
Posset ex aliqua parte juvare, juves :  
Ne te dicatur nihil esse nocentius ipso :  
Et prodeesse minus te quoque posse nihil.

Quosvis fugit auctio sensus.

Ad Iohannem VVolfgangum ab Ellerichs-  
bausen.



Si non est acri spectabilis auctio sensu:

Affiduè crescit qualibet herba tamen.

Nec fugit h.e.c, ubi res excreverit, auctio sensu:

Cunctaq; cum fuerint aucta, videre licet.

Discitur haud celeri(juvenes modo pergit) fructu:

Nec mora sollicito terreat ulla pedes.

Et bona de multis conquerite seminarebus:

Certa, gravisq; suo tempore messis erit.

Gratis largitur, & offert,  
Ad Georgium Gallum Nordlingensem.




Aureus assiduo latè sua munera motu,  
Iejunoq; vigens corpore Phæbus agit:  
Nullaq; cum tantum soveant alimenta calorem: :  
Perpetuo fulgens hic tamen igne manet.  
Et Deus ex nihilo qui totum condidit orbem: :  
De toto à nobis exigit orbe nihil.  
Quia potes ergo fide solemq; imitare, D E V M q;,  
Et prompta gratis daq; juvaq; manu.

Propria

Propria stat gloria prole.

Ad Erasmus à Steinau dictum Steinrück.



Quæ prima ramos ab origine protulit arbor:  
Et fructu, & propria prole beataviger.  
Atq. ita clara boni prudentia principis extat:  
Qui regit, & propria res agit arte suas.  
Stirps ferat illæso (si sit bona) caudice fructum:  
Ne varia noceas infitione magis.

Nimis

Nimis aucta nocebunt.

Ad Iohannem Mühlitzерум Norib.



*Natura pergrata nocet nimis aucta voluptas:  
Nec bona vina parum largius hausta nocent.  
Copia quando placet rerum, vel honor, vel amici:  
Corporis & robur, forma, color q; placent.  
Noveris hæc it idem cum profint, posse nocere:  
Nam bona sunt damnis, damnaq; mixta bonis.*

Proce-

Procedere præstat ab imis.

Ad Ludovicum Schuartz meierum  
Ambergensem.



Quilibet à prima succrescit origine planta :

Imag. supremis sunt q. vigent q. prius.

Naturam artifices opus aggrediendo sequuntur :

Quinetiam nobis hæc imitanda vénit.

Discere quando voles, amplectere proxima pri-

Hæc si percipias, inde remota petes. (mum:

D

Certe

Certa est alia radice propago.

Ad Cosmam Vacuum Iuris consultum Flens-  
burgensem.



Cernis ut ex una multi radice ferantur

Cauliculi, cupida qui retinentur humo.

Hic ubi terra novis plantam radicibus auget;

Amplificat q̄ suum multa propago genus.

Et bene fulta novis radicibus, aucta q̄ virtus

Injusto firmum pectore robar habet.

Spinisq; tegentibus extant.  
Ad Georg: Paulum Nützelium Noriberg.



Cernis ut erumpunt inter dumeta, vepresq;  
Letaq; fragrant lilia flore vigent.  
Gallia nonne vides ter denos quanta per annos  
Bella ducum effuso tincta cruro referat?  
Navarræq; vides inter tot prælia regem,  
Victo exultantes ut gerit hoste manus?  
Quem ne tantilla dignata est Gallia parte:  
Terras hic omnes ecce, virosq; tenet.

**Ex humili concendit in alcum.**  
**Ad Iohan. Ioachimum Nuzelium Norib.**



*Præruptum ex humili concendit origine montem,  
Impulsuq; levis profluit unda rotæ.  
Si quibus ingenium natura, & stirpis honorem:  
Et fortuna nimis parca negavit opes.  
Sperate, & certo vires, animumq; labori:  
Vestraq; cælesti credite vota D E O,  
Magnas saepe frequens industria perficit artes:  
Cum vis securos ingeniosa facit.*

*Quando micat igne, feritur.  
Ad D. Andream Tucherum Noriberg.*



*Cum grave candenti moliverit igne metallum  
Hoc flectet facili quo volet arte faber.  
At si durities pulsos fuget igne calorem:  
Defessas ludent spesq; laborq; manus.  
Cimmoda susceptis captata occasio rebus:  
Eventus faciles prosperiore facit.*

*Sursum deflexa recurret.*

*Ad D. Christophorum Stocammerum Norib.*



*Si quem defleas magno molimine ramum :  
Hujus ab extrema parte resurget apex.  
Totus & infracta summum virtute cacumen.  
Injustam fugiens vimq; , manumq; , petet.  
Exsurgens multo, stabilitaq; tempore virtus.  
Nullo devictum robore robur habet.  
Et si forte graves fortune injuria casus.  
Inferat : haud ullo victa labore jacet.*

*Natura*

Natu benefacta rependit.

Ad D. Iacobum Pömerum Noriberg.



Hac clarum exultans amplectitur herbula solem.  
Cuius ex passo munera flore capit.  
Latro disce puer benefacta rependere vult:  
Situa non habeat res, neque verba locum.

Durum

Durum juvat esse, nec obstat.  
Ad D. Carolum Nüzelium Noriberg.equi-  
tem auratum.



Vitra hæc transmittunt solam sine frigore lucem.  
Duraq; perspicuis associata juvant.  
Sisit honestati constantia juncta, juvabit.  
Nam melius constans est leviore bonum.

Gravimus

Gravius compressa nocebit.

Ad M. Bertholdum Gravium Hallendorfensem ad Salinas Hassiacas.



*Si sapis ardentes nimium ne comprime prunas,  
Si qua sit in nuda forte ferenda manu.  
Mollibus emungit digitis ancilla lucernam :  
Qui nequeunt instar forcipis esse fabro.  
Non eadem vis est unius in omnibus ignis.  
Nec pariter qua vis omnibus ira nocet.  
Nam si qua non est sine viribus, illa prematur:  
Compressu exsurgens urit, obestq; magis.*

Reparata quiete vigebunt.  
Ad Iacobum Kleist nobilem Pomeranum.



Fessa quiete suas restaurant corpora vires:  
Et fit fertilior quando quiescit ager.  
Sic hyemalis habet sua commoda frigoris aestas:  
Somniferaq; dies commoda noctis habet.  
Quin et honorata requiescent munia mentis:  
Ut reparent vires mens, animusq; suas.

Leviter contacta movetur.  
Ad Utum Gertnerum Noriberg.



*Immotamne vides qua jacet hic pilam - ?  
Hac per se leviter pulsā movebitur :  
Et si non moveas amplius : hāc tamen -  
Perget sponte suum perficiens iter.  
Sunt quibus ad certas mens est bene mobilis artes :  
Plurima qui proprio discere marte solent.  
Qui quis es ex te ipso qui discis, discere moveri :  
Vnius hoc non est namq; docentis opus.*

Paulatim assurgit, & ardet.

Ad Ludovicum Camerarium Noriberg:



Vt globus horrendo sonitu vibratur, & igne:  
Vrsus forte metu membra movente fugit.  
Sed reddit, & magno grassatur in obvia motu:  
Intactumq; sinunt ira, furor q; nihil.  
Res age: nec primo se tua protinus astu  
Efferat: in tremulas nec ruat ira manus.  
Sed brevis hanc paulum potius mora temperet ira:  
Dum reparent vires mens, animusq; suas.  
Postea jure tuos, vel apertis viribus hostes,  
Aut quacunque licet fraude, vel arte petas.

Iterato liberor i<sup>t</sup>cu.

Ad Michaëlm Lorberum Papenberg.



Fixus in hunc cuneus qui magno est robore trun-  
Nullis eveli viribus inde potest. (cum :  
Vna sed ars superest , quam cognita causa docebit :  
Ex immobilibus causa petenda labris.  
Hec labra divellas iterato vulneris i<sup>t</sup>cu :  
Et fracto cuneus carcere liber erit.  
Si bene quid facias suscepto insiste labori :  
Ne sit quid frustra constituisse pudor.

Ramis non caudice vivit.

Ad Iohannem Prüeschchenck Ambergensem.



Solus truncata consistit in arbore caudex:

Nulliusq; boni germina floris habet.

Qui non est aptis ad munera moribus: & quem

Solum dicit iners, & sine mente caput.

Hic sine flore manens est, & sine palmita truncus:

Cui nec vita usus, nec rationis inest.

Præclaris igitur virtutibus excole mentem:

Teq; tuis virum viribus esse proba.

Rosco

Roseo rosa vivit odore.

Ad Iohannem Neuburger Alcmariens:  
Holl:



*Fragrantes roseo rosas odore*

*Pergratus decorat color : sed idem,*

*Multis rebus inest color : rosarum,*

*Vnus cum sit odor comes perennis.*

*Conservant humana duc confortia dotes :*

*Hic amor : & certa est hic in amore fides.*

*At si desit odor non est rosa vera colore :*

*Talis & inconstans est amor absque fide.*

*Totum*

Totum pars una peremit.

Ad Christophorum Frixium Livonum s:



Portio tam valide non continet una : sed omni  
Hæc ex parte suum vincula robur habent :  
Quæ cito solvuntur partem si solveris unam :  
Et quavis etiam parte cadente cadunt.  
Haud secus est constans sacræ perfectio legis ,  
Si præcepta colas omnia : justus eris.  
At si lege tamen quicquam deliqueris una :  
Virtutes sequitur gloria nulla tuas.

In

In alto nata superbit.

Ad Carolum antiquioris prosapiæ Comitem  
Ortenburgicum.



Cernis ut exsultans excelsa in rupe superbit  
Fons hic & nitidas ejaculatur aquas.  
Nempe quod ex alto descenderit incita monte:  
Ascensu facilis efficit unda gradus.  
Qui se parendo primis submiserit annis  
Ex alta veteres stirpe secutus avos:  
Hunc facili doctrina gradu: Laus stirpis in altum,  
Et virtus humili tempore parta ferent.

F

Sidul-

Si dulcibus acria jungas.  
Ad Iohannem Cammerling Hollandum.



Iuncta ceres lupulo dulcis parit amula vini  
Pocula : si dulcet adjicantur aquæ.  
Acrem nempe sua lupulum dulcedine mulcent :  
Et suavem faciunt unda, ceres q[ui] zythum.  
Mollia si duris : & dulcibus acria jungas:  
Tractandis ratio hæc optima rebus erit.

Mihi sunt mea munera fraudi.  
Ad Henricum Bachofen.



Hic me conculcans, cui munera largior, hospes  
Obruit, ingrata dilaceratq; manu.  
Commoda s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> malis h<sup>e</sup>c e<sup>s</sup>t occasiorebus:  
Donaq; s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> manus quando capescit, obest.  
Forte quis acceptum si dat tibi munus, e<sup>s</sup>t offert:  
Ingratus ne sis accipiendo cave.

*Media ferar usque tabella.*

*Ad Iohannem Truncium Marienburgensem Borussum.*



*Naufraga quem medio tempestas aquore jactat,  
Hunc media tutum parte tabella vehit.  
Sit tamen extremas fluxo terat assere partes:  
Hunc alto merget versa tabella mari.  
Quares quaq; suas conjunxerit aspice vires:  
Hac ut ab hac ipsa de quoque parte juvet.*

*Augentur pondera motu.*

*Ad Nicolaum Comitem Ostrorogatum.*



*Parvus ut excuso qui lapsus ab æthere fertur,  
Ictu quemq; ferit deteriore lapis.  
Haud secus offensum principis ira moratur :  
Pœna tamen gravior tempore facta venit.  
Nempe laceſſit as alit indignatio vires :  
Majus eſt multo quam fuit ante malum.*

Sunt optima fulcra, manentq;. Ad Nicolaum Hieronymum, Hieronymi Baumgartneri duum viri primarii filium, Noribergensem.



Volvitur tangente globus puello.  
Sed viros ludunt validos, suoꝝ  
Sede considunt cubicis reſecta  
Saxa figuris.

Vir bonus, & referens constantibus omnia verbis,  
Cujus & in factis stat q̄ viget q̄ fides.  
Dignus hic est prudens ſibi quam̄ reſpublica jun-  
Et qui conſilio reſq; viros q̄ regat. (gat:

Cedun

Cedunt contenta, replentq;.   
 Ad Iohannem Livvaldum Marienbergen-  
 sem Borussum.



Qui volet ire procul, variasq; invisere gentes:  
 Hoc emblemata suis applicet usibus.  
 Pocula multiplices vino tribuentia formas  
 Conservant veteres omnia terminos.  
 Cedit, & ad formas vinum se comparat omnes:  
 Qualemcumque ferat quaq; capacitas.  
 Et mutare tuos, & ad hospitis advena mores  
 Conformare bono te decet exigu.

Modice

Modice hæc assumpta ju vabunt.

Ad Christophorum Marstallerum.



*Annon insipidos nimisq; dulces*

*Vsu sal modico probè palatis*

*Arridere facit cibos? quid autem*

*Vsu si nimio? peribit omnis*

*Quem querit bonitas coquus saporis.*

*Si quas condecorant jocus, & vexatio mensas:*

*Et si grata lepor verba, virosq; facit.*

*Attamen hæc gravibus sal sunt, & aromata verbis:*

*Quorum ne pereat gratia: quare modum.*

*Idem*

Idem perimitq; paritq;



Queris ut in molli validos abdomen flatus  
Et pariat perimatque piper, tollatque tumultum.  
Ex frigidis flatus piper excitat  
Humoribus: sed crebrius additum.  
Hos postmodum solvens, & acri  
Attenuans perimit calore.  
Haud secus ingenium primo levis inflat, & effert  
Conceptu doctrina: graves tamen inde bonosque  
Accrescens fingit bene culto in pectore mores.

¶

Frigo-

Frigore consistunt densata.



Maxima condensat penetrabile flumina frigus :  
Quin & consistunt frigiditate nives.  
Hec que sua tanto constantius omnia mole ,  
Frigora quo fuerint asperiora manent.  
Si fortuna tuis rebus iniquior  
Te duris agitet casibus anxium :  
His confide malis que stabili tuum ,  
Ad quidvis animum robore comparant :  
Si fors afficiat te graviribus :  
Ut vita ratio est irreparabilis.

Nam steriles mixtura facit.



Cum non sint steriles equæ : suumq;  
Prægnantes asinæ genus propagant :  
Mule non pariunt licet perennent.  
Nam mixtum hoc genus eſt, & impotentia  
Naturæ.  
Hoc mixtura malum quando facit : optima vita  
In justa ratio simplicitate viget.  
Bello mixtus amor, partemque fecutus utramque :  
Et cultus mixtæ religionis obest.

Charæ custodia prolis.



Grata duæ visu pariunt spectacula feles:  
Quæ suo morsu laniant, ferisque  
Vnguis pectunt, lacerant, fugantque  
Maximos quoscunque canes tenella  
Prolis amore.

Et nos hac etiam naturæ jura sequamur:  
Abst ut à nostra quevis injuria prole.

*Properans non excoquit auctio  
fructum.*

*Ad Matthiam Suchorabsky de Suchorab  
nobilem Polonum.*



*Dic mihi cur salicis nascatur in arbore fructus  
Nec maturescat tamen.*

*Dum salix succum celeri capescit  
Fluminum suetu : properata crudos  
Auctio profert, nimioque laxos  
ubere fructus.*

*Et vos o juvenes quos feruens erigit atas:  
Et quos maturi locupletat opinio fructus:  
Ne properate nimis præcocios edere fœtus,  
Dum vobis dubios obfirment tempora sensus.*

G

Nec

Nec multo frangitur ictu.

Ad Iohannem Kinerum à Scharfenstein in  
Lodnitz nobilem Silegium.



Illatos adamas repellit ictus

Quantovis etiam furore tundas:

Quin hirci prius kunc domes cruores.

Vincere quando tuum nullis potes. ictibus hostem:

Mollibus hunc verbis mitescere prestat, astus:

Quam te diffici, nocuoque labore fatiget.

Crescer

Crescat tamen atque vigebit.



Nonne vides Cyanos inter frumenta, ferosque  
Successu parili crescere carduos ?  
Haud tamen amittunt proprias bona semina vires :  
Quin crescens dominum lata beet seges.  
At neque te pravos decet absterrere sodales :  
Sed res ipse tuas perfice sedulo.

Hunc

Sola Vincit Virtg. ☉



Itac scribat  
Altorf Noric.  
Johannes Paulus Colerg. N.  
13 Februario anno 1604.

Hunc capient alio mediante  
colorem.



Non quemvis subito probè colorem.  
Panni concipiunt, diuine servant:  
Quin perfusi alia tenace quadam,  
Tinctura fuerint paratiōres.

Haud secus humanas non quæque scientiamentes  
Imbuit extemplo: Physicasq; addiscere primum  
Res decet: ante sacras quam progrederaris ad arces.

Platin

Plurima nec saturat cædes,  
Ad Ernestum Cracovium Borussum.




Felis ad interitum, non ad sua pabula mures  
Evocat: & nulla est cæde necando satur.  
At qui maestata complet sua viscera carne:  
Max satis, ut pleno ventre pigescat, habet.  
Strenius hæc etiam miles documenta sequetur:  
Sedula nudando ne sit in hoste manus.  
Sæpe redux spoliis intentos obruit hostis:  
Sæpe etiam feli, quam forat, esca nocet.

*Flante volat vento,  
Sed mox gravis imbre jacebit.  
Ad Iohannem Satlerum VVemdingensem.*



*Lintea ventus agit volucres imitata volatu:  
Quæ subito gravibus deprimet imber aqua.  
Quem levis attollit rebus fortuna secundis:  
Et qui vento actus prospere volat:  
Post vehementer trucis jactatus turbine ventis,  
Venturoque madens imbre jacebit humi.*

*Alio veniente remittet.  
Ad Iohannem VVillembrochium  
Dantiscanum.*



*Qux micat in tenebris radiant luce , nitorem  
Et profert atra nocte lucerna suum.  
Mox ubi Sol noctem , noctisq; fugaverit umbras:  
Deperit huic quicquid luminis ante fuit.  
Quis quis ex , ante alios quem vel sors evehit omnes:  
Qui vel doctrina , divitiisque tumes:  
Ne confide nimis : ne si saelicior alter  
Adjit : scire tuum sit , vel habere nihil.*

*Aut natet, aut pereat.*

*Ad Petrum Paulum Steurnagelium*  
*Augustanum.*



*Huius ne perimat te fluminis unda, natabis;  
Sicque tuo veniet parta labore salus.  
Nostra que perpetuo conficit vita natatu:  
Res hic quisque suas ne moriatur agat.*

Justo majora videntur,  
Ad Iohannem Ingolstetterum Norib.



Major ut appetet tenues immisus in undas  
Nummus: & exoriens Sol quoq; major erat.  
Haud secus externis augetur opinio rebus:  
Parva que prægrandi corpora veste tument.  
Doctrinæq; fluens oratio nomen adauget:  
Et quæ magnificant, suspiciuntur opes.  
Sed veniens humili sapientia veste: jacebit  
Deserta in sterili pauper, egensq; loco.

Illa sa pelle potitur.

Ad Christoporum Pium Herdesianum  
Noribergensem.



Dum sera venator venabula torquet in apres:  
Aut vulpes canibus, vel globulis petit:  
Quā potis est minimum discepta carne potitur,  
Situum bello superaris hostem:  
Hunc neca: sed parce bonis: ut isthac  
Te magis sano laniata ditet  
vellere vulpes.

Veni

Nimio jacet obruta fructu.  
Ad Martinum Stobæum Marien-  
burg. Borus.



Quæ steterat vernis exultans floribus arbor :  
Hac nimio fructus pondere fracta jacet.  
Quæ sua complures potuit dare poma per annos :  
Præ nimia dabit hæc fertilitate nihil.  
Liberior q̄, nocet cumulans benefactum voluntas :  
Ingeniumque nimis fertile sape nocet.

Oſtentat

Ostentat forma, nec offeret.

Ad Georgium Kinerum à Scharfenstein in  
Lodnitz nobilem Silesium.



Quam sunt hæc vario splendentia poma colore :  
Quamque suis hæc est virgo decora genis !  
Hæc ede : contrecta hanc audacter, & oscula præbe.  
Nam quacunque voles parte, fruare licet.  
Quid pyra picta juvant ? quid pictus in agmine mi-  
Et quid amatorem picta puella juvat ? (les)  
Quisquis es, internis animum virtutibus exple :  
Ne pictum dicat te tua forma virum :.

Non hoc naturæ est emblemata, sed artis : inanè  
Vestit enim hæc specie multa, sed illa nihil.

*Itur procul atque reditur.*

*Ad Andream VVielovviesky de VViel-  
garvies nobilem Polonum.*



*Si terra varios lustrare ciconia fu-  
res:*

*Sique volare procul grus, et 3 hirundo queunt:*

*Cum tamen hec solum querant animalia pastum:*

*Et quavis rerum cogniti one vacent.*

*Quidni homini deceat disqui-  
rirer plurima nato*

*In toto quemvis orbe patere locum?*

Complexu obfirmsat, & effert.  
In nuptias Abrahami Schnupfii Vimariensis  
Palatini apud Ambergenses  
Confiliarii.



Ecce maritatas lupulis & vitibus alnos :  
Quae succo fructum luxuriante ferunt.  
Sed modo vitis humili proprio, lupulusque jacebunt  
Pondere : si nulla sustineantur ope.  
Talia florens querat sibi fulcra juventus,  
Seque suo subdat fœmina quaque viro.  
Ne vir forte jacens tandem sine prole putrefascat :  
Qui fulcro poterat conjugis esse pater.

Fixa dum sede quiescant.  
Ad Iacum Burgsdorferum Marchicum.



Callidus in sylvis venator oberrat, & auceps:  
Hic ut aves latitans captet, at ille feras.  
Altamen hæc cur suis salvantur, avesq; volatu:  
Quæ pereunt aliqua sicubi sede manent.  
Non amat insidiis obnoxia vita quietem.  
Ut mortem fugias est fugienda quies.  
Vera sed in certo vita est custodia motu.  
Nec superant agiles visq; dolusq; viros.

Citius calefacta gelascit.  
Ad Ioh. Iacobum Taurellum fil.



Frigida quae mollifuerit laxata calore,  
A strictum citius contrahit unda gelu.  
Haud secus indulgens quos molliter educat: & quos  
Blanda boni metuit ledere cura patris,  
Aut quibus aucta rapit vires, animumq; voluptas:  
Qualem mentitur fæmina facta virum.  
Qualibet hos facilis fortuna injuria casu  
Obruit: & pulso membra calore jacent.

*Viso magis osse dolebit.  
Ad Nicol. Fridericum Taurellum fil.*



*Cum canis esuriens alio rodente vagatur :  
Aucta magis viso vellicat osse fames.  
Conspecto que graves morsus accendit egestas  
Divite. Pauperiem copia namque facit.  
Augeat ergo tuum ne res aliena dolorem :  
Non nimium socius suffice quicquid habet.*

*Fred*

Erectæ ad sydera crescunt.

Ad Marcum Neu. Gioppingensem.



Multa præruptum variante montem,  
Arbor ascensu decorat : suosq;  
Torquet ad cœli viridicacumen.

Vertice ramos :

Non obstante solo. Patrios neque natio mores,  
Terraque nulla tuos germano in pectore mutet.  
Sed tua sit terras constantia firma per omnes.

Sefc

Fide sed cui vidi.

Hoc scriptum a me  
est ab An. Theron.  
Caelato 5. die Nov.  
Fusamus photos Rot. lat.

Fo.

Sese cutis ipsa tuerit.

Ad Albertum Fridericum Mellemannum.



Corrugans se glabra cutis, sine crine, tuerit,  
Quando elephas muscam, belua cauta, necat.  
Sic sine crine caput vanam sine viribus iram,  
Nempe susurrone, invidiamque, premit.

A. F. M. Nos alter in  
audis emblem.

Mellemannum

**Aliorum absumor in usus.**

**Ad Theophilum Richium Palatinum  
apud Ambergenses Quæ-  
storem.**



*Splendida quæ proprio consumitur igne lucerna,  
Multos luce sua dum juvat, ipsa perit.  
Multi se macerant subeuntque pericula, multis  
Ut possint medicas applicuissim manus.  
Hi propria redimunt alienam morte salutem,  
Si possis, alios at sine fraude juva.*

K

Barba

Barba est satis una duobus.

Ad Ludovicum Steinhauerum  
Ambergensem.



Quinque sub expasso latitant velamine fratres,  
Tempore quos genitrix partuque exclusit eodem:  
Ornat barba duos : barbam natura duobus:  
Et quinto alterutra duntaxat parte negavit:  
Atque ita conjunctis barba est satis una duobus.  
Quisquis es hunc etiam natura imitabere moremis:  
De te, deque tuis ut rebus gaudeat alter.

K

Nub

Vive Memor Lefhi.



Hec Ornatisimo afg3 doctissi-  
mo dom. Hieronimo Crabilero  
amico & fratre suo charissima  
scribebat David quenger. Strigil  
Aug 1605. die 3 Junij.

Nullo maris edita motu :  
Ad Davidem Strzela à Rokicz.



Quæ gallina maris neglecto scmine galli  
Ova sua nimio prolixi amore parit.  
Irrita sunt : nec in his , quantumlibet ipsa calefcant,  
Vlla tamen vita spes , neque prolixi inest.  
Quod sine judicio puerilis cuderit et as  
Ingenii nimium parturientis opus.  
Nullius hoc unquam florentis germina vita :  
Nec fructum quis sit dignus honore feret.

Non cedit mole, sed usu.  
Ad Georgium Karlick à Nezetz.



*Si seges arboreo conterrata robore cedit:  
Parva tamen stabilem præbet arista cibum.  
Poma que cum magna turgentia mole putrefiant:  
Sicco parva diu corpore grana manent.  
Parve puer magnos inter confide sodales:  
Vis etiam parvis maxima rebus inest.  
Corporis ut desint: animi conquirito vires:  
Quæ plus corporeo robore sape juvant.*

Multo languentia motu.  
Ad Ferdinandum VVostrovvetz,  
à Kralovvitz.



Quem properante canes cur fugi, metuque fatigant  
Concidet amissō robore vīctus aper.  
Sunt curis qui se macerent, odio vīe, metuve:  
Et sunt quos spoliet viribus ira suis.  
Atque ita non magno cum robore venerit hostis:  
Hi proprio vīcti turpiter ense cadunt.

*Nullo dulcescunt fracta calore.*

*A Med : D. Thobiam Salandrum.*



*Quo maturescunt crudissima poma calore :*  
*Dulcescitque asper qui fuit ante sapor :*  
*Salsas haudquaquam vasti coquit aquoris undas*  
*At neque dulce facit : sed facit acre piper.*  
*Non quemvis rigidas secuta leges*  
*Diciplina bonum facit : nec omnes*  
*Mollescunt studiis , sed asperantur*  
*Qui sunt ingenio ferociore.*  
*Quia nullo coquitur calore bilis :*  
*Hanc acris medicus repurgat haustus.*

*Et Nilum crocodilus habet,  
Ad Matthaeum ab Hagen.*



*Et Nilum crocodilus habet, qui maxima toti  
Ægypto utilibus commoda præstat aquis.  
Ne celebres contemne viros : si forte quid ipsi  
Doctrinam vitii concomitantis habent.*

*Nimis*

Nimis ubere languet avena.

Ad Nathanaelcm Labetzky de Liebiedziod  
Polonum.



Multa prosternunt pinguedine pabula vires:  
Quin & avena gravem multa fatigat equum.  
Nec satis est longo moles nimis aucta labori:  
Quando quod auxilio debuit esse, gravat.  
Sape etiam partis opibus sterilescit, & alget:  
Qui prius ingenio fertiliore fuit.  
Et metus iste vetat magnos ditare poetas:  
Cum segnes faciant, si curvulentur opes.

Afflito

Afluxū aūgentūr māgna mi-  
norūm.

Ad M. VV Wolfgangūm Reuth.



Plenos offerri locupletibus undique census  
Cum paſſim à populo pauperiore vides.  
Ne mirare, tibi nec tam paupercula cordi  
Turba ſit. Hac dites numinā forte beans.  
Maximos augent fluvij minores:  
Et cibo corpus leviore crescit:  
Et maris vastas minus ampla complent  
Flumina fauces.

Ut sit nutritur, & urit.

Ad Iohannem Adolphum Saltzman.



Appice complures ut queritur ignis in usus,  
Maxima qui magni munera Solis obit.  
Quem nisi terrestris sustentet copia ligni:  
Aut sit in expleto quod voret ore, perit.  
Haud secus humanae est restricta potentia sortis:  
Qui juvat, auxilio quem juvat, eius eget.  
Disce igitur parili benefacta rependere nixu:  
Nec solem, si quis te juvet, esse putan.

L. 3. Quo

*Quo vivimus, hocce necamur.  
Ad Iohannem Helmreich.*



*Qui dedit erectis vitamque decusque lucernis:  
Subverso hic ipsas igne peremit adeps.  
Si quis opem veniat validos laturus in hostes:  
Et sit e major, quem juvat, esse velit.  
Penser, & observa quecunque negotia tractat.  
Non sat in hocce latet pectore tuta fides.*

Non forma, sed usus.  
Ad M. Philippum Bernbeckh.



Rura petunt, et res nostri sectantur, et usum, .  
Agricola: atque satis quod juvat, esse putant.  
Prima sit, ut vivas: hinc ut bene vivere possis:  
Alterasi vita cura, laborque tuae.  
Mult a voluptati rerum est data copia nostra.  
Sed bene si nequeas vivere: vire tamen,

Simili mansuetus, & usus.  
Ad VVencellatum VVilhelnum Liberum  
Baronem à Rupa.



Effer a sus stabulum nolens intrare, sequetur.  
Tunc ubi mansuetas viderit ipsa sus.  
Quis quis es ipse tui generis consortia quere:  
Laudatoque tuum more tuere genus.  
Cumque genus tueare tuum: sectatus amicos.  
Elige quos similes noveris esse tui.

Nullis

Nullisq; madescit in undis.  
Ad Georgium Adamum Liberum Baro-  
nem à Rupa.



Nec sicc a pluvius aves madescunt:  
Nec plumatus aquas veretur anser:  
Nec tardis anates madent in undis:  
Nec pīcis metuit natans madorem.  
Si sapis hasce puer discens imitare volucres:  
Degere degeneres cum cogeris inter amicos:  
Ne tibi prāva gravem pariant exempla ruinam:  
Caciq cerne oculis, & surdis auribus audi.

Finem

**Finem natura negabit.**

**Ad VV Wolfgangum à Debitz nobis  
lem Siles:**



*Qui volet assandas ad flumina mittere carnes:  
Aut sedare suam qui volet igne sitim.  
Huic constans operi finem natura negabit:  
Nam vires retinent ignis, & unda suas.  
Si quem falsa voles ut credat cogere: cogas.  
Mendax hic si se credere dicat, erit.  
Si valet externas violentia vincere vires:  
Veram vis poterit vincere nulla fidem.*

*Idemq.*

*Idemq; extinguit, & auget.*

*Ad Abrahamum Burgravium, & Baro-  
nem à Dbona.*



*Qua prius in prunis sopitos extulit ignes :*

*Hec modo serventes temperat aura cibos.*

*Quin hæc ipsa boni est solertia principis : idem  
In varios ut sit mitis, & asperior.*

Parcit cohtenta capillis.

Ad Hieronymum Arconatum bellicum Cae-  
sare & majestatis Confiliarium.



Astat securius cum devorat ursa capillas:

Quando quæ tribuat pabula pastor habet.  
Sic cavit humanas attingere bellua carnes:

Horrida quo satureret viscera nacta cibum.

Quidni cum satis est, aliena sorte, bonisque

Ducat quisque suas abstinuisse manus?

Tenues calor effugit undas.

Ad Ludovicum Schuvartzmeierum  
à Schuvartz enau Iurisconsultum, & S. Ca-  
sarea majestatis Consiliarium ap-  
pellationum.



Frigida quem tenui concepit ab igne calorem,  
Hunc tabescere non tenet unda diu.  
Nec manet aduersa sententia credita menti,  
Nec mores animo non retinente manent.  
Sed manet ingenium quicquid peperit ve, sovetur,  
Ut nunquam ingenitus cedit ab igne calor.

Sese cutis ipsa tuetur.

Ad Antonium Caray Illustriſ: Principiſ  
VVirtembergensis apud Montbelgar-  
denses Confiliarium.



Magnum multa suis elephantem vespā fatigat  
Morsibus : huic nec opem cauda, pedesve ferunt.  
Sed calvum mira superat tamen arte columbum :  
Hic vespas motupellit : at illenebat :  
Crudelesque ferus dura cute contrahit auceps  
Rugas : vespā quibus capta, fremensque perit.  
Vincere quandoferos nulla vi possumus hostes :  
Quidni victa sagax suppleat arma dolus ?

**Contractæ latitant.**

**Ad Hectorem Caray Antonii F. VVirtem-  
bergensem apud Montbelgardenes  
Vicecancellarium.**



*Si densum ferias olus bacillo :  
Erucæ hinc subito cadent in orbem,  
Contractæ ut fugiant necem latentes.  
Quo mores hominum loco , fides que  
Non est tuta satis : tuas in unum,  
Res compone magis latendo tutas:  
Ut vites avidas manus, & hostem.*

*Ut lenis cicurat manus.*

*Ad Iulium Fridericum Carrey,*

*Hector. F.*



*Et lenis cicurat ferociores,*

*Et demulcet equos manus periti*

*Margonis: ratio quibus negata est.*

*Et sunt qui placido probe suorum*

*Placentur monitu, ferosque mores.*

*Deponant, memores sua salutis.*

*Firmi*

Firmi sunt roboris instar.

Ad Iohannem Stoffelium Norib: VVirtem-  
bergicum apud Montbelgardenses  
Consiliarium.



Hec tenuicum sint, nec firmo caudice : sursum  
Concedunt aliquo robore pisa tamen .  
Forsitan ascensus qua sit mirabere causam .:  
Firmi clavicularis roboris instar habent.  
Si propriæ non sint: externas suscipe vires:  
Nec certam oblatæ despice fortis opem .

Salve

*Salva radice secantur.*


*Ad M. Iohannem VVegenerum Pomeranum.*



*Multa ferox, at non depascitur omnia frigus:  
Radix, si pereant cetera, salva manet.  
Hortum qui colitis teneros abscindite caules:  
Ne qua tamen damnum secta propago ferat.  
Et vos: chara quil us cerio commissa juventus  
Verbis, & docta est corripienda manu:  
Hanc regite: & caute pueriles tollite nervos:  
Ne qua boni pessum germina floris eant.*

Feret pars secta salutem.

Ad Christophorum Pflugium equitem  
Misericordum.



Cum secat arboreo graciles à caudice ramos  
Villicus: aut aliud si quid obesse putet:  
Haud nocet: illas à nocuas at ab arbore partes  
Tollens: spem fructus uberioris habet.  
Ergo nec est veterum ut quicquam monumenta  
querantur:  
Si quod ab integro corpore dogma cedat.  
At neque lex pravis per vim cum moribus obstat  
Et ferro avertit damna, vel igne nocet.

N

Una

Una sat est uni.

Ad Iohannem Angelum nobilem Pragensem.



Centum tauris habet ducas ad pascua vaccas:  
Cum conjux uni sit satis una viro.  
Quilibet una semel concepto semine taurum,  
Toto dum pariat tempore vacca fugit.  
Fœmina quæq; tamen quem diligit ipsa mariti  
Complexum quovis tempore prompta petit.  
Una sed excipitur, miris quam Scaliger effert  
Laudibus. Haud mulier, vacca sed ista fuit.

**E**x ramo enascitur arbor.

**A**d Christophorum Christophori Füreri ab Ham-  
mendorf Reipubl. Norib: Triumviri, reiq,  
bellic & præfecti supremi filium.



**N**on perit excisus materno à caudice ramus:  
Secta nec ex ulla talea parte perit.  
**S**ed sata complures aucta parit arbore fætus:  
Arboreasque gravifænore primit opes.  
**F**ilius ergo suum patremque domumque relinquat:  
Ut propriam poscit prole replere domum.

**N** 2

**Melius**

Geor. Carolides

Nil statuat iudex etiam si litiget actor,  
Sit nisi delata cognita causa rei.

Integra mens, rectissimi conscia criminis exors,  
Nil timet, et ruminas spe tenet, astra sapit.

Bizd menre magad  
Soreg alygn kivangad.

Praeculta madolis & optima spei  
Adolescenti In Hieronymo  
Gräblero Noribergensi  
amoris & memorie ergo  
adscripti Albertus  
Molnar  
szenciensis

Anno christi 1505  
Aetate februario.

Altorfii.

Melius sapit absque sapore.

Ad Generosum Baronem D. Danielem Duditz.  
de Horechovvitza.



Quoslibet eximiè dignoscit lingua sapore:

Cum nihil ex sese nata saporis habet.

At si quem proprium sibi fecerit ante : saporis  
Istius quicquid percipietur, erit. (dex:

Quisquis es hac etiam complectere dogmata ju-  
Naturam ut pura mente sequare ducem.

Ne qua tuos odiis pervertat opinio sensus:

Forte vel injustus te quoque capiet amor.

Mars, Pan, Pluto, Ceres, Liber, Neptune, Apollo,  
Terminus, Nemus, Barathus, Segestes, Mercurius, Thymus,  
Aegat, Amat, Dat, Multiplicat, Frustrat, Regis, Applus.



iteris q. monibus  
politis. sive  
Dne strenu. Crable  
ro, scripsit Matth.  
Lherus. palatin.  
ari numerorum  
sui. fo 2606.

## Conjunctæ superant vires.

Ad Martinum Carolum Martini Halleri ab  
Hallerstein senatoris & scholarchæ No-  
rici filium, affinem meum,



Quam duodena virum, conjunctaq. robora tollunt:  
Hanc nulla poteris parte movere trabem.  
Totum nempe movet qui partem dimovet unam:  
Tantus cum toto quamlibet unit amor.  
Quod solus neque as opus: sodales.  
Hoc tui juncto superent labore.  
Crede, nec oblatas nimis unquam despice vires.

Juvo clausa, patensq;:



Excipit oblatas, dominoque rependit aperta:  
Clausaque servandas janua servat opes.  
Vestratas o pueri discendo recludite mentes:  
Vestraq; sit partis firma, tenaxq; fides.

Sordes

...pansusq. similesq.

Livius libz dec. 3.  
A reuile laborare; iis nimis dñe  
ajunt, eamq; nimis uam. Si  
et reuile, pruinciar. sed non oppri  
mitar. quin ipsa natiq; se pomen  
tes mem opprimit: nis cetero pro  
chieris. Multorum (nigriti) impo  
litale depehba Veritas emergit:  
et iniurie de fentio interclusa  
respirat: Quod autem nati hir  
vibus: sit hoc non idq; culpa.  
Viribus, sed uitio mi pohl mali  
humana, grise Galen ore viribus  
fore negavit

Hec ne non inven  
dolebro et huius sol  
et a milo Hec in qd pelti  
am membra sicut  
ex granu Wallenq; q  
mro amicu Smidow  
Anno 15 V.

Sordes acquirit, & auferit.

Ad Nicolaum Conradi Rittershusii I. V. Do  
ctoris & Professoris filium.



Quomagis à sacri profluxit origine fontis:  
Hoc magis impuros efficit unda lacus.

Rivus at humano quo plus à fonte recedit.

Puras plus nitido flumine fundit aquas.

Nempe quod offertur mens inficit, atque repurgat:  
Et rebus sordes dat, removetque suas.

Artefacti, sicut per se sunt  
ad. N. I. una cum aliis, quae de hanc

O deus eximum mentis sapientis; et aucto  
posse tacere suo et tempore noster loqui.

Optima specie adolescenti,  
Dr. Hieronymo Krablero, ani  
ca recordationis ergo, scripsit  
David Freisinger Novemb.  
Aetatis 1604. d. 21. April.

Formamq; imitata, jocosq;;



Ecce quam grato speculum fatigat  
Felis aspectu: specie, jocisq;  
Quam representat similis per omnes  
Altera rugas.

Nonne imitata vides amplos collaria ventres:  
Turrisq; ut miserum comprimat ista caput?  
Rebus ut est species: felisq; simillima feli:  
Et similes gestus filia matris habet.  
Sic nova depravat teneros in sania mores:  
Quosque novo flectat munere semper habet.

Affusa

XVII. dulcissimum habere quippe cum  
auctor sic loquitur tecum.

Exditione atque oneris viri  
huius generis of natissimo in  
veni, domino Hieronymo Gab  
lerio amico suo ex optimis  
optimis memorie ergo huc  
pancula aetione re delactu  
batur Martini Beni Nor  
Die 8 Maij anno salutis hu  
mane restauratae.

1 - 6. 0 - 5.

Affusa ex aestuat unda.

Ad Arnoldum Clapmarium Historiarum  
Professorem Altorfii.



Frigida succedit compressa in calce calorem.

In qua paulatim disperiturus erat.

Sunt qui compressa vindictam in mente recondant:  
Collabi vires dum sinat ira suas.

Mollibus hisce tamen gelidam suffundere verbis,  
Sublatumq; latens qui volet esse malum:

Hoc ager ut magno se ferat ira furore:  
Que latitans alias nil nocitura fuit.

O

Tractu

Loramen hinc aliquod miseriariam  
est non remittit.




Johannes primo anno His  
venerabilis Grablero in  
amicum sit; reverilat  
onem hac Grablerat A.  
Corphuo amissus M. Mar.  
1605. Joannis  
Fasces Grablerensis Fr.

Tractu cogente sequetur.  
Ad Carolum Caroli Grundheren senatoris  
Norici filium affinem meum.



Tota per inflexum descendens unda canalem  
Et labentis aquae pondere tracta fluit.  
Nam sacra natura lex est fugientis inane:  
Corpus cuique suum quae jubet esse loco.  
Cur nos naturam non hac quoque parte sequamur:  
Sedula ne quid iners, mens vacuum veferat?

Clausā hæc, & aperta juvabunt.  
Ad Gabrielem Gabrielis Scheurle,  
Norici filium.



Quæ nunc clausa juvant: etiam reclusa juvabunt:  
Si quando tacuisse juvet: juvat esse locutum.  
Nec clauso mutus: nec aperto garrulus ore  
Sis semper. Si nunc taceas, aliquando loquaris.  
Postea, si loqueris, taceas: tempusq; modumq;  
Observans: usū lingua ut tua prosit utroq;

Charta papa Gregorii subitis Iaponum.  
Decr. omnium. m. latorum Index.



Excellens meus rex et docto filio  
mi domino Hieronimo Crosby  
scripsit hoc - Thesaurus sciammo-  
ni perpetuum amicorum pincii.  
hunc sagittam effigie suae  
et engraverit clamor:

**Avertet via facta ruinam.**  
**Ad Ioh: Sextum Antonium Had de Pro-  
socze nobilem Bohemum.**



*Bellum capernici quem torquet machina motu  
Disjicit hic magna mænia clade globus.  
At minus infra dicto penetrans nocet impetus ictu:  
Mollis quando viam creta lutum vè facit.  
Quos arcere tuis neque as à finibus hostes:  
His pateat quovis semita facta loco.  
Tollere si qua nequis placide convitia perfer:  
Ne verbis fiant asperiora tuis.*

O nil terrena i[n] patis



Reliquit fornames  
Christopher Tannerg  
Waltersensis Fatalius  
20 May 1619.

Aliis consumor ut obsum.

Ad Iohan. Adalbertum Vrsum LL. stu-  
diosum.



Pluma velut tetur suffitu exhalat odorem.:

Pluribus & fædo cum perit igne nocet.

Haud secus est multis lædendi prompta voluntas:

Qui multum ut noceant maxima damna fe-  
(runt.

Nihil est nisi ramus ut hæret.



Dum viget in proprio consistens caudice ramus.  
Vires exiguæ non nisi partis habet.  
At satus ingenti succrescit mole, vigetque:  
Arbor & est qui pars arboris ante fuit.  
Deserat ergo suos maturos stirpes parentes:  
Seque suo jungat nupta puella viro.  
Huncque brevi multa ditabit prole maritum.  
Qua prius una suæ filia matræ erat.

Aliena

*Aliena prole superbit.*

*Ad Paulum Pauli Coleri Senatoris, & Scho-  
larchæ Norici filium.*



*Cernis ut hac variis exultet fructibus arbor :  
Cum plures ex se non ferat una tamen .  
Propria dum non est, aliena prole superbit.  
Sic quod naturâ non datur, arte datur.  
Quos à consiliis venerando munere princeps,  
Res ratione suas ut moderetur, habet.  
His sunt sâpe suis addicti rebus. Adauget  
In sita namque suum talea quæque genus.*

*Vivunt*

Vivunt à caudice rami.  
Ad Antonium Neudorferum.



Prima quisque suos caudex ab origine ramos  
Sustinet : hosque sua nutrit, & auget opes.  
Quos vita normam : varias preceptor & artes  
Quos docet : hosce boni caudicis instar alit.

Valide

Validè propulsa redibit.

Ad D. Iohannem & D. Adrianum ab Vnruh  
in Vendtstatt & Bansens.



*Est genus hoc hominum, quos si quis forte repellat:  
Vt pila sunt, subito que procul acta redit.  
Nempe suo impingens adversa in corpora motu:  
Hunc petit, unde fuit missa, repulsa locum.  
Si tibi quis fuerit fortasse molestior hospes:  
Quem semel eductum nolle redire velis:  
Hunc placido incautum prestat dimittere vultur  
Quam pulsum foribus durius esse tuis.*

P

Non

Fumus flammæ proximus.



*Lucida s<sup>e</sup>pe leves dissolvere flamma tenebras  
Fumo de lignis exiliente nequit.  
Nec tantas virtus, nec tot sapientia vires:  
Posit ut exiguum tollere crimen, habet.*

Virtute amicita fide societas, per hanc  
le propinquitas solenda est.

Hoc amoris testamini gra-  
tia Iohannes iuvenis de Jero-  
nimo Crabbler poni tam  
Matthias Mojer in per-  
petuum mei memoriam.  
Aeterni 12 Sept. 1604

Inhibet via clausa regressum.



Quae capit incautos a versa cuspide pisces:  
Egressum objecta cuspide nassa negat.  
Si quem forte suo pelle exerit improba nutus:  
Hunc ut se stimulis cogat amare Venus:  
Incidit in validos præda hac bene saucia casse:  
Et captare fugam posse libido vetat.

Aristoteles libro de  
interpretatione.

οἱ λόγοι τῶν ἀδύτων καὶ τῶν  
τρόπων εἰσὶ οἵτε εἰκότες.

Cicero L. T. de Leg. Interpretatione  
mentis oratio.

Seneca: imago animi sermo.

Rel Efto.

Hac in gratiam adoleſ-  
centis letissimi D. Hieron.  
Craberi aſſcripsit Eras-  
Artogensis menſi Marti  
A.D. 1604. Alteripſio Lüdin.  
Battavorum abiturus.

EMBLEMATA  
NUDA.

I.

Quantumvis icta resistit.  
Qua fuste obtuso duriſſima tunditur arbor:  
Stans hac quantoris robore tua manet.  
Sic quibus ingenii natura negavit acumen:  
Hi multa efficient sedulitate nihil.

II.

Inhibent alimenta regressum.  
Quia muri tenues tenella rimas  
Cor pulsu facilis subintrat arbor:  
Cor atutamen hac adaucta nullo  
Ramos inde suos sinet revelli.  
Quando ſodalitium vitiis alimenta ministrat,  
Hecque ſuo paſtu, blanditiisque fovet.  
Firmis r hac jactis animo radicibus haerent.  
Hocque medela malum tollere nulla potest.

III.

Idemq; juvatq; nocetq;  
Luxuriantे quidem ſuccreſcunt plurima motu:  
At non pingue petit qualibet herba ſolum.

P 5

Quid

Quid juvat uiseras foliis excrescere vites?

Quid betas, & olus luxuriare nocet?

Discere nonnullos per territa cogit egestas:

Nnullos etiam non remorantur opes.

IV.

Veteris vestigia formæ.

Quem veteri augescens arbustula caudice nodum

Contraxit primo dedecorata satu:

Hujus in evicto vestigia tergore servat.

Nec delet veteres aucta juventa notas.

Tolleret si prima iactos ab origine mores:

Sic velis veteres amplificare domos:

Inde leta manent veteris vestigia formæ:

Primaque firmata dognat a mente manent.

V.

Brevis est sine robore vita.

Hec sine subiecta vi vivit radice, vigetque

Ostentatque suum talea flore genus.

Haud tamen hac ullo poterit ditescere fructu:

Quin pulsò pereat vita virore prius.

Quisquis ad extremum subito ascendit, & immo

Negligit ingenio magnapente, gradus.

Hic licet eximii letetur imagine fructus:

Ceures illustri stet bene gesta loco:

Non erit illa tamen speciosis gloria rebus:

Robore qua stabilis sit, vigeatque suo.

VI. Nul-

VII.

Nulloq; fit amplius haustu,

In vastum aſidue maris barathrum,

Magnis è fluvii citatiores

Circumquaque fluunt aque: nec ullum

Hac tam magna parit vorago flumen.

Non his crescit aquis tamen: sed omnes

Occultis pereunt viis abactæ.

Hac cave damna, tuis & rectè consule rebus:

Qui berè servandas undique cogis opes.

Ne te vel cœco, gelidisve putrente sub umbris

Has ignota petat, diripiaturque manus.

VIII.

Pondere tollunter firmata.

Maxima constringens attollit pondera forceps:

Et majora minus tamen resistunt:

Morsum quæ faciunt magis tenacem:

Firmius ut sursum quo sunt graviora trahantur.

Qui magistratum juvenes protervis

Moribus vexant, nimiove fastu:

In graves tandem recident tenaci

Pondere pœnas.

VIII.

Nimis aucta mole tenentur.

Motacilla suo quem sovet editum,

In nido, cuculis corporis obstruens

Aucta mole viam non habet exitum.

Itala

*Itala deliciis circumfluat terra, jocisque  
Sepe juventutem, Germanaque pectora captat:  
Qui (velut à validis præda obruta casibus) hæret:  
Aut reduces teneri cruciantur imagine luxus.*

X.

**Alienis incubat ovis.**

*Quanam avis hæc est quæ suo sedula  
Educat in nido suorum vice  
Suppositos fætus?  
Miror an insignes non hoc curruca maritos  
Exemplo doceat. Laudemne velexecrer? Atqui  
Sepe fit. Hec hominum stabilita est jure voluntas.  
Dum nullus repetit, tibi quæ sunt parta teneto.*

X.

**Sepungens ipsa necabit.**

*Si quem compungant, acri sua spicula punctu  
Amittunt, & sic emoriuntur apes.  
Quando nocere vole: injuria facta cavebis  
Ne graviora tibi damna, necemve ferat.*

XI.

**Dominis post verbera plaudunt.**

*Quantiscunque canes iictibus à suis  
Tundantur dominis: non fugiunt tamen:  
Vt si quisque suos esse putant nefas.  
Oderunt rigidos nec pueri patres.  
Et vos judicio juvenes graviore carvete:  
Ne præceptores ulilio vestra petat.*

*Maxima*

**Maxima sed vestris sectantes commoda rebus**

*Discite si quæ sunt afferiora pati.*

XII.

**Multoque clementia suetu.**

*Prima quando pulex muliebres vellitat artus  
Mole: potest celeres effugitare manus.  
At sua cum multo distenderit ilia suetu:  
In duras veniet præda petita manus.  
Nec potis est noster vitare pericula miles:  
Dulcia cum pleno gutture vina bilit.*

XIII.

**Formamque imitatur, & usum.**

*Frondes uvifera lupulus gerit amula vitis:*

*Et vires etiam quas imitetur habet.*

*Si teneræ fugiunt aquilonia frigora vites:*

*Quod nos hisce tamen substituamus, erit.*

*Doctrina celebres, rerumque imitaberis usu:*

*Quos & quare tamen non potes arte viros.*

XIV.

**Dum multo molliat ictu!**

*Cuprea per multos fit lamina flexilis ictus:*

*Et dura cedit mollificata manu.*

*Multaque dissolvens mordax emollit acetum:*

*Quæ solvi nullo posse liquore putas:*

*Quin & dura feros evincere verbera mores:*

*Quæque renuntuntur flectere membra solent.*

*Acquirit*

X V.

Acquirit morte vigorem.

Sifacit esuriens ardore lupina voracem.

Pellis inexpleto cum fovet ore lupum.

Plurima sed multo sit maximus ardor habendi.

Pellis inexpletum si tegat ista senem.

Ququisius es humanos cum sis homo succipe mores.

Ne quis avaritiae putet esse lupum.

X VI.

Motuq; sonoq; fatigat.

Vesicam si forte voles appendere felis:

Cui multum reddant indita pisa sonum.

Annexum frustra gyris, et saltibus hostem.

Hic fugiens multo damna furore feret.

Sæpe graves odiis infert injurya noxas:

Majus est motu vim tribuente malum.

Huic tamen una suo patientia marte medetur:

Felis enim melius quando quiescit, habet.

X VII.

Magis hæc à morte juvabunt.

Multus in effuso cum flumine pisces oberrat:

Susque per arentes quando vagatur agros:

Haud quicquam conducit: inertis ad otia vita

Magna saginato corpore pæna manet.

Situa cunctantes socrus invida protrahit annos:

Atque suas retinens mordicus auget opes.

Perfer.

Perfer, et exposito tua negligi commoda vultu.

Nam qui te recreet, tempore crescit adeps.

X VIII.

Nullo saturabitur haustu,

Culpat inexpletum sitiens hydropticus ignem.

Semper avarus egens culpat utrumque senex.

Ignis ligna petit: sed aquas hydropticus optat.

Et semper querulus querit avarus opes.

Hisce tamen lignis opibusque medemur, et unda:

Certam namque ferunt quando negantur operi.

X IX:

Accessu nocitura suo.

Densa nocenti umbris splendenti corporatae;

Majus et accessu fit propiore malum.

Quin ita sepe suos aditu prohibere sodales:

Et lucem obscura demere mole solent:

Proxima queque boni quibus ostia regis, et aureo

Accessu justo liberiore patent.

Princeps ergo procul qui vult arcere tenebras:

A se dimoveat corpora densa procul.

X X.

Accersit moritura malum.

Devia sollicito complet nemus omne boatus,

Errantemque jubet vacca venire lupum.

Sæpe vocata venit, dimissaque jussa redire,

Fœcundas repetit dira podagra domos.

In san.

*Infandoque necat dominum complexa dolore.*  
*Vina quod accersunt, ira, Venusque malum.*  
*Hac spectans documenta tuis bene consule rebus :*  
*Ne quid casta malimens, animusve ferant.*

F I N I S.

*Errata sic corrige.*

D. 3. pro fragrant lege fragrant. E. 8. pro Frixium le-  
ge Firxium. F. 6. pro quam lege quem. H. 6. pro disceptā  
lege discerpta. H. 8. pro benefactum lege bene facta.  
I. 4. pro cursus lege cursu. K. 2. pro macerant lege exeru-  
eiant. K. 5. pro macerent lege crucient. L. 4. pro altera  
lege altera sit. L. 5. pro Nec lege Ni. M. 2. pro sove-  
tur lege sovetue.